



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Dispvatio VII. De Habitu, & Interno Actu Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

rit, & hoc nomine eundem librum damnet. Ubi cum constat de definitione, nequit dubitari de Pontificia definiendi potestate; quantumvis videri posset res facti; at universam concernens Ecclesiam, & redundans saltem in quæstionem juris, quæ dum nequæ congruè sine pleno effectu aliàs terminari, vel per factum aliquod posset via eversioni definitæ quæstionis juris parari, cadit quoque per concomitantiam seu cõnexionem quamdam sub potestatem definitivam Papæ. Est planè hic apparet scopus istorum malignantium, per latum scilicet quæstionis facti confodere primariam definitionem Papalem; dum existimantes Pontificem in quæstionibus præteritis facti errasse (quod ipsum tamen ad modum summè temerarium esse debet) pergerent quidquid *Jansenii* libro continetur defendere, veluti quo non continentur propositiones (quas quodam sensu iuste damnatas fatentur) damnatæ, saltem in sensu *Jansenii*. Ob id Pontifex merito declarat præmissa. Et quidem si rectè attendatur, sensus particularis, in quo propositiones damnantur, est ipsissimum objectum quæstionis juris ac definitionis; nam utique in sensu determinato (cujus declaratio est penes definientem) damnantur sententiæ seu propositiones. Quod autem exprimatursensus à *Jansenio* intentus, non ita intelligas velim, quasi *Jansenius* in corde vere senserit, prout scripsit (potuisset enim ad solutè contra propriam mentem scripsisse) sed quod sensus iste sit *Jansenii*, quantum est ex vi verborum & contextus, quem proinde voluit instar locutionis significare, & cui in mente debebat respondere simile iudicium ad hoc,

ut censetur non fuisse mendax aut fallens. Quod insuper definiantur propositiones in libro (qui ab omnibus noscitur esse *Jansenii*) contineri, vel ex eo esse excerptæ, non mirandum est: cum id perinde sit, ac si Papa damnationem ad latus singularum in libro positarum adjecisset: Nec dubitandum sit, quin sicut Ecclesia potest etiam sub anathemate definire, in aliquo libro nullos errores contineri (prout de Canone Missæ definiit *Tridentinum*) sic è contrà definire, quod in Institutionibus v. g. *Calvani*, Libro *Jansenii* &c. tales errores continentur. Prout in Concilio Lateranensi damnatur & reprobatur Libellus quem *Abbas Joachim* vir pius edidit contra Magistrum *Petrum Lombardum* de unitate seu essentia Trinitatis; ac determinat Concilium se quoad illam credere cum *Petro Lombardo*. Et (ut alia omittam) etiam in Concilio V. generali in terminis damnantur Scripta *Theodoretii* contra *Cyrium* aut Concilium Ephesinum. Estque omnino ad officium Pastoris universalis Ecclesiæ pertinens, non tantum salutaria pascua à noxiis discernere, veluti in abstracto aut extra subjectum; sed etiam ovibus, ne (quod in promptu esset) decipiantur, declarare, in tali subjecto seu libro has vel illas noxias herbas seu doctrinas, aut è contrà salutare reperiri. Quod si denique quis nimium contenderet, definitionem prædictam non censendam esse fidei (de quo S. Sedes iudicet) sed solum iudiciale declarationem, cui à quovis obediente fideli standum est; adhuc convincerentur malevoli refractarii, qui secus agunt.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Habitu, & Interno Actu Fidei.

QUÆSTIO I.

De Habitu Fidei.

I. De variis habitibus fidei tangens missivè.



PERAQUE Habitum fidei concernentia in antecedentibus sunt explicata; præsertim *Disp. I.* nimirum quomodo sit supernaturalis & à Deo infulsus, nec de facili, sed simpliciter posse, quando & quo ordine infundatur; quomodo subiectetur in intellectu, non maneat in Beatis & damnatis, maneat autem in animabus adhuc purgatione indigentibus. Idemque est de animabus Patrum ante mortem Christi in limbo adhuc à Domino peregrinantium. Quomodo denique sit Theologica virtus, maneatque veri nominis, uti Theologica, Virtus; sine Caritate; etsi non formata. *Herinc Sum. Theol. Pars III.*

Hæc itaque quæstione de Habitu fidei paucis explicanda redant, quæ in antecedentibus non sunt sufficienter discussa.

Disco I. Habitus fidei est simplex, non compositus ex aggregatione plurium habituum correspondentium pluribus articulis. Est communissima Theologorum sententia, cum *D. Thoma quæst. 4. art. 6.* & inclinât *Scotus 3. dist. 24. q. unic. n. 21.*

Conclusio non satis efficaciter probatur ex illo ad *Ephes. 4. Una fides, unum baptismum*. Nam ibi solum indicatur esse eodem fidei articulos, quibus omnes Christiani ob idem motivum credunt, adeoque est sermo de unitate objectiva fidei in omnibus Fidelibus. Non sufficienter etiam probatur ex identitate specifica assensuum fidei: cum & hi circa varia objecta materialia sæpè disparatissima versentur, adeoque ex parte eorumdem specie distinguantur.

2. Habitus fidei est simplex.

Nonnulla probationes rejiciuntur.

N

Rectius

Melior pro-
batio.

Rectius itaque probatur ex eo, quod non sit necessitas distinguendi specie par-
tiales habitus fidei: cum sit idem objectum
formale motivum omnium assensuum fi-
dei, ipsa nimirum simplicissima Veritas di-
vina revelans, quæ eodem modo informat
omniacredibilia, diverso revelationum mo-
do, si quis intervenerit, per accidens & vel-
ut materialiter, se habente. Et gratis diffi-
mulato, quod habitus naturales specificen-
tur etiam ab objectis materialibus (quod
Doctores passim negant) id saltem non de-
bet extendi ad supernaturales, qui non ge-
nerantur ex actibus, nec sunt eorum ves-
tigium, sicut habitus naturales, sed à Deo
nobis infunduntur, habentque se instar po-
tentiæ, quæ indifferens est ad actus diversis-
simos eliciendos, non solum ratione oppositi
modi tendendi (prout diversi sunt assensus
& dissensus oppositorum) sed etiam ratione
objectorum materialium, quantumvis dis-
paratorum. Propterea parvulus per fidem
in baptismo acceptam est habitualiter dil-
positus ad credendum per illam omnibus
fidei articulis. Patet etiam differentia inter
fidem & scientias acquisitas, quæ secun-
dum diversas suas partes nituntur diversis
motivis, sive principiis & mediis, possunt-
que separatim comparari.

3.
Constat ha-
bitus fidei
gradibus
intensivis.

Notandum tamen, fidem non esse ita sim-
plicem habitum, quasi nullo modo compo-
natur ex partibus intensivis ejusdem spe-
ciei; nam fidem intendi posse non est du-
bium, sicut etiam spes & charitas ita augeri
possunt. Ideoque orat Ecclesia: *Da nobis fi-
dei, spei & charitatis augmentum.* Et Apostoli
Luca 17. rogarunt: *Domine, adauge nobis fi-
dem.* Quod quidem augmentum intensivum
per Sacramenta & actus meritorios com-
paratur. Estque adeo hæc ratione fides ma-
jor in uno quam in altero. Quod insuper
quædam ratione verificatur in augmento
extensivo, quatenus unus plura explicitè
credidit, quam alius, pro differenti cogniti-
one rerum fidei. Extrinsecè etiam perfectior
esse potest, sive ratione adjunctæ charita-
tis, sive ratione majoris stabilitatis, sive de-
nique ratione majoris promptitudinis, quæ
provenit aliquando ex carentia vel parci-
tate tentationum, aliquando ex simplicitate
credentis, qui vim rationum fidem per-
turbare valentium non apprehendit, ali-
quando ex clariore rerum fidei propositione,
divinæque illustratione; quibus accedere
potest facilitas ex majori habitu fidei
acquisitæ procedens.

4.
Distingui-
tur à spe-
ciebus in-
colligibili-
bus.

Ex dictis colligitur habitum fidei di-
stingui à speciebus intelligibilibus, quia il-
læ multæ sunt & specie distinctæ, deser-
viuntque ad simplices terminorum apprehen-
siones iudicio fidei prævias. Immo ut
assensus supernaturalis fidei eliciatur, non
est opus speciebus supernaturalibus: non
enim apparet, cur non sufficiant naturales;
cum supernaturalitas assensus sufficienter

fundetur in habitu supernaturali fidei, qui
est principium efficiens. Species quoque
supernaturales deservire non possunt ad
hoc, ut objecta fidei clariùs apprehendan-
tur: nullam enim experimur claritatem in
his objectis, sed eodem modo illa apprehen-
di patet in hæretico ac fidem conver-
so, qui objectum nunc verà fide credi-
tum non aliter apprehendit quam antè.
Nolim tamen diffiteri, quin Deus possit in-
fundere species supernaturales, & causare
earum concursu conformes apprehension-
es sive illustrationes intellectus prævias.

5.
Colligitur II. Habitum fidei non manere
in hæreticis, adeo ut si fidelis dissentiret
voluntariè & pertinaciter uni solum arti-
culo revelato, amissurus sit fidem insulam
circa omnes alios articulos. Est certa &
communis sententia Theologorum, contra
Durandum 3. dist. 23. q. 9. art. 1.

Colligitur
ait: *Afferendum est, non modo infidelitate, per ex Triden-
tino.*
quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quo-
cumque alio mortali peccato, quamvis non a-
mittatur fides, acceptam justificationis gra-
tiam amitti. Quibus verbis docet fidem per
infidelitatem, prout est hæresis, simpliciter
& absolute amitti; idque sicut gratia justi-
ficans amittitur per quodvis peccatum
mortale: unde sicut per hoc peccatum amit-
titur tota gratia justificans, ita & tota fides
per quamvis hæresim.

6.
Probatur II. ex illo ad Galat. 5. *Evacuati Scripturæ,
estis à Christo, qui in lege justificamini.* Et
infra: *Modicum fermentum totam massam
corrumpit.* Ubi significatur, Christi fidem
evacuandam, eoque totam massam cor-
rumpendam unico isto errore circa obser-
vantiam ac necessitatem legis veteris ad
justificationem.

Probatur III. ex 1. ad Timoth. 1. ubi hæ-
retici dicuntur fecisse naufragium in fide:
quæ phrasi significatur, eos totam fidem
perdidisse. Unde *Chrysostomus Hom. 5.* illum
locum explicans docet, quod sicut is, qui
naufragus facit, nudus, omnibusque desti-
tutus evadit, ita ille, qui ex fide exciderit, ni-
hil sibi ex virtutibus & donis Dei retineat.

7.
Probatur denique ratione Theologica: *Et ratio-
ne Theologica.*
tum quia aliàs hæreticus maneret verè fide-
lis; sicut dicitur absolute physicus, qui cal-
let plures conclusiones phisicas, etsi circa
unam vel alteram errat: tum quia fides amit-
titur solum demeritoriè; unicum autem
peccatum infidelitatis demeretur amittit
totum habitum insulam fidei, uti unum
mortale totum habitum charitatis.

8.
Nec obstat, quod possit quis habere
scientiam de aliquibus passionibus subjecti
& errare circa alias: nam in diversis con-
clusionibus sunt diversa motiva seu media,
quorum unum potest quis cognoscere sine
altero; in fide autem omnium articulorum
unum est medium, videlicet divina Veritas
revelans: & (quod inde sequitur) scientia
habet

habet diversas specie partes, quarum unam quis potest sine alia habere; fides autem est habitus omnino simplex, aded ut quilibet gradus ejus extendat se ad omnia credibilia.

Non obstat etiam, quod lapsus in hæresim adhuc credat aliis articulis ob idem motivum. Nam hoc posito (prout possibile est) solum credit aliis articulis fide naturali.

7. Habitus fidei non potest ex parte minui.

Colligitur denique fidem insulam non posse minui, sed solum totam perdi. Nam Tridentinum supra supponit tantum amitti peccato infidelitatis. Deinde peccatum veniale non meretur tantam poenam. Et si posset per illud amitti pars fidei, tandem posset per venialia multiplicata amitti tota fides, adeoque totum justificationis ædificium funditus everti: quod certissimum est non fieri nisi per peccatum mortale.

8. Est simpliciter practicus.

DICO II. Habitus fidei est simpliciter practicus. Ita Scotus 9. 4. Prologi num. 31. ejusque Discipuli; etiam plures aliter loquantur, dicentes habitum fidei esse formaliter practicum, partim speculativum; qui tamen in re à nobis non differunt. Patet à fortiori ex dictis in Proæmio Theologiae quæst. 5. de Habitu Theologico, qui est practicus, & tamen habet partes specie distinctas, quarum nonnullæ non possunt proximè & formaliter dirigere praxim, sed tantum remotè & virtualiter. Declaratur Conclusio: quia fides est habitus aptus proximè dirigere praxim, eamque multiplicem, idque etiam ex suo proprio fine & circa principale suum objectum, sic ut nulla sit in eo pars intrinseca seu gradus ad id non idoneus, cum quilibet gradus possit coefficere assensum fidei cuiuslibet objecti credibilis, inter credibilia autem sint plurima formaliter practica. Nec refert, quod objecta quædam fidei sint speculativa, v. g. Deum esse unum & trinum &c. Nam ut habitus simpliciter dicatur practicus, non requiritur omnia objecta esse practica, ut inductione in scientiis facta patet. Similiter ut sit speculativus, non sufficit, quod respiciat assensus aliquos speculativos; sed, quod non sit idem habitus idoneus dirigere praxim. Ut interim taceam, istas speculationes fidei etiam dirigi sub eodem lumine fidei ad praxim, videlicet amoris Dei unius & trini.

Est quædam veritas fidei formaliter speculativa.

Considerando nihilominus diversos & singulares actus fidei, certum est inter eos reperiri plurimos formalissimè practicos, quibus v. g. credimus colendam & amandum Deum, fugienda peccata &c. alios formaliter speculativos (etiam mediata & virtualiter praxim dirigentes) v. g. quo credimus Deum esse trinum. Quocirca hanc propositionem, *Deus est Trinus*, speculativam appellavit Scotus 4. d. 14. quæst. 3. num. 4.

Herincx Sum. Theol. Pars III.

QUESTIO II.

An Actus Fidei Theologica sit Discursivus & Liber?

DICO I. Actus fidei Theologica non est discursivus. Ita Scolia & Thomista communiter, quos sequitur Suarez, Valentia, Coninck, Wiggers & alij communius, contra Vasquez & varios Recentiores, quorum sententia videtur improbabilis Tannero disp. 1. qu. 1. dub. 3. num. 73. Favet Scotus communiter citatus 3. d. 24. quæst. unic. num. 14.

9. Actus fidei non est discursivus.

Probat: quia certitudo discursus nititur antecedente & bonitate consequentia, quæ quidem sola ratione naturali innotescit: cum tamen certius assentiamur articulo fidei, sine cujus proinde detrimento possemus de bonitate consequentia dubitare.

Probat: varid.

Deinde motivum fidei immediatum est ipsa auctoritas Dei revelantis: motivum autem discursus est medium syllogisticum seu connexio illius cum extremis in antecedente, sic ut divina veritas tantum sit motivum mediatur vel inadæquatum. Propter quod Conclusio discursivè deducta pertinet ad assensum seu habitum Theologicum, qui à fide distinguitur.

Præterea alii contendunt discursum formalem, aut certè (ut Quidam limitant) virtualemente hujusmodi (Quidquid Deus revelavit est verum, sed hoc vel illud Deus revelavit; ergo est verum) necessariò intervenire: quod tamen non subsistit, cum constet sapissimè nos assentiri propositioni revelatæ absque eo, quod nobis objectivè proponantur duæ præmissæ, ex quibus assensus fidei à nobis deducatur. Quod manifestius est in fidelibus simplicioribus. Neque ulla repugnantia ratio allegari potest. Et quidem si discursus intervenire deberet, potius formalem concurrere in nobis, credendum foret. Et planè, si nil sit, quod ostendat necessitatem discursus formalis, non est quoque admittendus virtualis: cum contra hunc similia militent argumenta; cumque parum referat, si discursus in nobis admittendus sit, an formalis sit, an virtualis. Accedit, quod conclusio Fidei inferretur ex præmissis, vel tamquam creditis fidei divinæ; & sic quoad ipsas præmissas recurrendum esset ad anteriorem discursum, & sic sine fine: vel ut cognitis notitiâ naturalibus; & sic nequit in eis fundari fidei nostre præeminens certitudo.

10. Actus fidei non est discursivus.

Est igitur Prima Veritas revelans ratio credendi simplici modo sine discursu, aut saltem non in virtute discursus, sed proximè propter Primam Veritatem revelantem, quæ articuli redduntur summè credibiles, sicut lumen est ratio videndi colorem.

10. Actus fidei non est discursivus.

Negandum tamen non est, quin soleant vana discursus preparatorii ad susceptionem fidei procedere, v.g. circa notas Ecclesie, eas examinando, atque ex iis conclusiones ad fidem accedentes formando; ut experientia docet in convertendis ad fidem. Verum assensus principaliter innitentes huiusmodi discursibus non sunt assensus fidei Christiane, sed ille solus, quo agnita ibidem per lumen fidei divina veritate, intellectus articulis assentitur tamquam ab ea dictatis seu revelatis.

11.
Actus fidei
est liber.

Dico II. Actus Fidei Theologica est liber. Patet ex Tridentino sess. 6. c. 6. dicente, homines disponi ad iustitiam, dum excitati divina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata & promissa sunt. Cui consonans Augustinus Tract. 26. in Joan. specificat multa, quae facere hominem potest (ut loquitur) nolens, credere autem (subdit) non potest, nisi volens. Et de Bono perseverantia c. 16. Fides sine voluntate non potest esse. Et alii locis. Consonant quoque alii Patres.

Propterea in Scriptura deficientes in fide, utique ex libera voluntate, redarguuntur Luca ult. O stulti & tardi corde ad credendum. Marci 16. Exprobravit incredulitatem eorum. Ipsa quoque fides nomine obedientiae insignitur Act. 6. Multa turba Sacerdotum obediebat fidei. Ad Rom. 10. Sed non omnes obediunt Evangelio. Et cap. 16. Vestra obedientia (id est fides) in omnem locum divulgata est. Et alibi. Denique 2. ad Cor. 10. dicitur: Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi; captivatur autem intellectus per voluntatem, euius est obsequium offerre.

Eadem Conclusio probatur experientia, quae docet objecta sic regulariter proponi Fidelibus, ut dum credunt, possint, quantum est ex se & virtute motivorum, non credere, sive assensum suspendere. Et in hoc consistit, tum fidei meritum, tum non credentium, dum credere possent & deberent, demeritum.

Præsertim
libertate
exercitii.

Unde consequens est, fidei assensum spectatis etiam & propositis motivis evidentis credibilitatis (quæ in omnibus non est æqualis ratione inæqualis propositionis ex parte objectorum, & capacitatis ex parte subjectorum) esse saltem liberum libertate exercitii. Quare à fortiori est liber quoad exercitium, quatenus in potestate voluntatis est intellectum à motivorum credendi consideratione divertere, & ad opposita consideranda applicare.

12.
Quæ ratione sit liber quoad
specificationem

An autem assensus fidei sit liber libertate specificationis, maiorem dubitationem habet. Asserunt Plures, Negant alii, præsertim Scotista. Verum satis constat, esse eatenus liberum libertate specificationis, quatenus est in manu voluntatis intellectum divertere à consideratione notarum fidei, & con-

vertere ad difficultates credendi. Quod quidem experientia notum est. Immo in his adeo operatur affectus, ut, etiam stante externa propositione, intellectus de voluntatis nutu instar surdi ad motiva non reflectat, seu ea non ponderet. At si motiva considerentur, eaque evidentiam credibilitatis generent (prout generant, sepositis affectibus librata à personis capacibus) hoc supposito, & absentibus motivis, quæ generent (ut sic loquar) discrederentiam, adeoque iudicii indifferentiam, existimo omnino non esse in potestate voluntatis discredere. Et hoc vult Scotus 3. d. 25. q. 1. nu. 13. dicens: Actus credendi dependet ex duobus scilicet habitu inclinante, & credibili presentato: non quomodocumque, sed presentato tamquam credibile: & sic communiter non presentatur, nisi per doctrinam, & adhuc si sic presentatur, non cessat credere intellectus, ut sic credere procedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonstrat, ita ut cogat intellectum ad assensendum: ideo non credit nisi volens. Quamvis autem voluntas sic habeat imperium super actum credendi, non tamen habet imperium super oppositum actum, stante fide, ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis: sed solum potest impedire intellectum, ne exeat in actum suum credendi elicatum circa credibilia proposita.

Ratio est: quia tali casu non adest motivum discrederentiam, uti nulla discrederentiam. Neque est poenes voluntatem movere intellectum prohibitu, nisi adfit motio ex parte objecti. Aliàs enim posset imperare intellectui, ut sine alia persuadendi ratione iudicet atra v.g. esse paria. Ideoque credere non possumus ei, quem iudicamus nil adferre fide dignum. Confirmatur: quia non potest quis credere, nisi proponatur res ut credibilis; ergo nec discredere, nisi proponatur res, ut quodammodo discrederentiam seu incredibilis; hoc autem non fit, quando objecta fidei proponuntur veluti credibilia evidententer, adeoque citra dabium de credibilitate.

Unde Hæretici, supposito quod sic proponantur & propositi maneat articuli, positivè non possunt discredere. Quod itaque discrederentiam, fit ex eo, quod sive defectu ingenti, sive defectu attentionis & considerationis, sive ob contrarias incidentias & motiva (quæ iis inhaerent) non iudicent mysteria sic proposita esse evidententer credibilia. Quod si etiam interius convincantur, dum rectè rem perpendunt, obstinata tamen voluntate intellectum à Notarum consideratione, veluti earum oblitum, mox averunt; & motivis suorum errorum toti incumbentes, manent æquè vel magis obstinati. Fatendum nihilominus plerumque assensum fidei esse liberum quoad specificationem, etiam stante propositione motivorum: eod quod nimirum non fit perfecta semper evidentia credibilitatis, sive defectu pro-

Quæ ratione non.

13.
Notanda
circa hæreticos.

Qu. II. An Actus fidei Theologica sit Discursivus & Liber. 141

Actus propositionis, five defectu capacitatis aut interioris considerationis, propter quod experientia docet fidem articulis propositis plerumque sic adhiberi, ut possit iisdem discedi. Quod signanter patet in hæreticis, qui non obstante propositione sufficienti, ut peccent non credendo, manent in suis erroribus obstinati. Quomodo etiam patuit in Judæis ac Gentilibus prædicationi Christi & Apostolorum resistentibus.

Advertendum tamen prædicta intelligenda esse de fide, qualem nunc eligimus ex motivis credibilitatis, & de potentia ordinata. Non enim repugnat omnipotentia Dei causare in nobis mediante intellectu fidei assensum necessarium, ac à voluntate independentem, etiam supernaturalem; ut Doctores admittunt, nec est ratio dubitandi. Talis foret assensus, stante physica evidentiâ primæ veritatis & ipsius revelationis elicited, voluntate impeditâ, quò minus intellectum aliò divertat.

Nunc inquirendum restat, qualiter voluntas concurrat ad assensum liberum fidei. Et in primis *Scotista* statuunt positivam voluntatis motionem, quæ in eo consistit, ut ipsa intellectui imperet, quatenus sepositis humanæ sapientiæ rationibus & affectibus seriò investiget ea, quæ mysteria fidei (unde salus nostra dependet) credibilia reddant, quatenus videlicet inde consequatur digna veracitate Dei credulitas. Quæ quidem in convertendis ad fidem reperitur, sæpeque repetitur, maximeque necessaria seu opportuna est, adeò ut aliàs non sit speranda conversio. Unde idcirco Deus aperuit cor Lydia intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Act. 16. quæ consequenter fidem eo prædicante suscepit.

Præter hanc autem affectionem considerari potest alia, quæ directè voluntas imperet intellectui, ut fidem adhibeat. Et hæc quoque ordinariè saltem adest, præsertim in convertendis ad fidem. Immo pro quotidiano fidei exercitio maxime suadenda est, utpote honestissima ac utilissima, si non necessaria fidei eliciedæ. Multi tamen, præsertim *Scotista*, putant eam non esse simpliciter necessariam, sed suppositâ sufficienti propositione objecti, & absentibus aliis impedimentis, sufficere consensum interpretativum, seu non contranitentiam voluntatis. Quod videtur de mente *Scoti dist. 25. quæst. 2. num. 1. & clariùs nu. 2.*

Quamvis nonnulli *Scotista* excipiant casum primæ conversionis. Sed inconsequenter: nam suppositis principiis satis determinantibus ad assensum, & stante pariformitate ex parte voluntatis, assentiri posset intellectus in quovis casu: iis autem sepositis, in nullo.

Itaque probatur doctrina *Scotistarum*: quia suppositâ non contramotione voluntatis, videntur motiva credendi habere vim sufficienter determinativam intellectus, uti *Herinex Sum. Theol. Pars III.*

habent motiva fidei & opinionis humanæ. Nec per positivum imperium voluntatis objectum habet majorem rationem veri, atque adeò determinativi, quàm sine illo. Confirmatur exemplo aliarum potentialium cognitivarum, quarum actus catenus solum imperat voluntas, quatenus eis proponit objecta, vel permittit aut derinet eas in objectorum consideratione, quæ alioquin in se habent virtutem determinativam potentialium ad actum. Nec obstat, quòd affectus credulitatis sit initium fidei juxta *Arauscanum 11. can. 5.* nam in primis non significat illum semper requiri aut semper esse initium fidei, sed solum docet fidem initialem, & ipsum affectum credendi inesse per donum Spiritus sancti corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem. Deinde explicari posset de actu voluntatis five positivo five interpretativo. Denique intelligi potest de actu positivo, quo voluntas intellectum applicat & derinet in consideratione motivorum fidei, & avertit ab aliis non autem de volitione proximè imperante actum fidei pro instanti quo elicitur.

Nihilominus contraria sententia requirens ad omnem fidei actum propter revelationem obscuram eliciedum, concursum immediatum ipsius voluntatis per actum positivum, est multum probabilis. Neque refragatur *Scotus* magis inclinans in oppositum, cum *num. 2.* dicat: *Et est, quòd requiritur motio positiva voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic movendum in prædictis naturalibus.* Patet: tum quia hæc sententia est communior: tum quia sic faciliùs apparet, quomodo actus fidei sit proximè liber: tum quia sic clariùs explicatur *Arauscanum*: tum quia videtur favere experientia, cum appareat nos non solere credere, nisi positivè volendo, & intellectum ad hoc inclinando. Quod proinde etiam ad actus fidei humanæ foret extendendum. Estque differentia inter potentiam visivam & intellectivam, quòd hæc voluntate saltem dissentiente non crederet; sicut tamen ipsa objecto, alioquin proposito videret, quantumvis voluntas nullis noller. Ut proinde intellectus in ordine ad credendum ex parte objecti insufficienter appareat determinatus, nisi accedat determinatio ipsius voluntatis; cui consequenter magis subordinatur, quàm potentia cognitiva externa. Accedit, quòd Deus ita rationabilissimè disponere potuerit, ut supernaturalem actum fidei elici non pateretur, nisi proximè liberum & ratione positivæ volitionis capacem honestatis moralis ac meriti. Denique difficilè explicatur, qui possit mera permissio seu non contramotio voluntatis esse conditio necessaria ad credendum, quando positiva volitio non foret necessariò requisita; ut fusè ponderat noster *Poncius d. 25. in Comment. n. 271. & seqq.*

14. Divinitus non repugnat fides necessaria.

15. Motio voluntatis prævia, respiciens considerationem nostram fidei.

16. An præterea requiratur positiva volitio imperans directè assensum fidei.

Sententia Scotistarum negans probatur.

17. Opposita doctrina multum verisimilis probatur.



18. *Affectus credulitatis specialem honestatem habet.*

Porro affectus credulitatis sine dubio est honestus ex genere suo. Et hac ratione in Scripturis & Patribus laudatur specialiter fides, quæ alioquin velut actus intellectus non haberet moralem honestatem citra opus ipsius voluntatis. Hæc autem honestas pertinet ad specialem virtutem, non minus quam temperantiæ, castitatis &c. tum quia est par ratio: tum quia nullum est inconueniens: tum quia per se apparet dignum naturam rationem credere Deo, & indignum ipsi discredere, idque ex natura rei & seclusa consideratione aliarum virtutum: adeoque voluntas credendi specialem ex objecto honestatem habet; quamvis alioquin (uti & affectus castitatis &c.) ex motivo charitatis aliarumque virtutum posset imperari. Unde distinguitur virtus ad hunc affectum inclinans (quæ vocari possit virtus moralis fidei) à charitate, studiositate, obedientia &c. Estque affinis virtuti Religionis, vel potius speciei quædam illius. Propter subordinationem tamen fidei ad ipsam, moraliter censetur quid unum cum fide.

19. *Non est in substantia supernaturali.*

Ex quo colligitur hanc virtutem, & actum ei correspondentem non esse in substantia supernaturalem, præsertim in via Scoti non admittentis talem supernaturalitatem in hac vita, nisi in tribus virtutibus Theologicis, earumque actibus. Specialiter etiam supernaturalitas affectus credendi ex nullo capite sufficienter suadetur: cum assensus Fidei, uti & Spei ac Dilectionis actus, etsi supernaturales, tamen objectum creatum sint, satilque possint imperari per volitionem in substantia naturalem. Immo affectus iste videri posset respicere assensum fidei præcisè quatenus est actus fidei divinæ, non autem determinatè & præcisè quæ supernaturalis; sub qua ratione nimirum non cadit ipse sub experientiam, quæque etsi deesset ob defectum principii supernaturalis, idem adhuc maneret affectus credendi. Præerea si voluntas credendi esset supernaturalis in substantia, etiam iudicium præcedens deberet esse supernaturale, ratione proportionis inter cognitionem proponentem & prosecutionem voluntatis; propter quod elici nequeunt reliqui actus supernaturales voluntatis sine prævia directione supernaturali intellectu: iudicium autem prædictum non esse supernaturale patet, eò quod iuxta auctoritates, signanter Augustini Epist. 105. & Tridentini sess. 6. c. 8. fides sit initium & radix omnis justificationis, & consequenter status supernaturalis. Quod eatenus verificatur, quatenus habitus fidei non præsupponit priorem se habitum supernaturalem, nec actus actum. Deinde si affectum credendi præcederet iudicium supernaturale, saltem hoc ipsum præcedere non debet alius actus voluntatis similiter supernaturalis; adeoque supernaturalis actus intellectus non

requirit universum prævium similem actum voluntatis, ne procedatur in infinitum: non constat autem id specialiter requirere actum supernaturalem fidei.

Sufficit igitur affectum credendi esse supernaturalem in modo; & procedereque à gratia actuati; uti & iudicium affectioni prævium: & sicut potentia habitibus supernaturalibus instructa indiget gratis actualibus ad operandum. Idque saltem colligitur ex Aranscano sup. ubi tamen est sermo de affectu credulitatis, qui elicitur in principio conversionis; dum voluntas corrigitur ab infidelitate. Generaliter autem colligitur ex auctoritatibus Scripturæ & Patrum, signanter Augustini, asserentibus omnia ad vitam æternam conducentia; specialiter initium fidei, esse ex gratia, contra Semipelagianos. A quibus non videtur distare Scotus sup. ut creditur Suarez disp. 6. de Fidei sess. 7. Sed gravissimè fallitur: nam Scotus (prout ipsum omnes Scotiste indubitanter intellexerunt, & charitas christiana intelligi præcipit) non negat requiri auxilia gratiæ actualis (quæ alibi satis clarè agnoscitur, & de quibus ibi agere non spectabat ad solutionem quæstionis) sed per voluntatem in puris naturalibus intelligit voluntatem carentem dispositione habituali vel auxilio physico defectum habitus supplete; cuiusmodi dispositio supernaturalis requiritur in intellectu ad credendum, ut patet ex Scoto quæst. 2. cit. nu. 2. & ad secundum.

20. *Sed in modo.*

Cujus oppositum male impingitur Scoto.

QUESTIO III.

De Veritate & Certitudine Assensus Fidei.

DICO I. Assensus supernaturalis fidei Theologicæ necessariò est verus, sic ut per illum credi non possit alicui propositioni, nisi à parte rei revelatæ. Ita communiter Theologi. Et patet ex admittis ab omnibus fidei certitudine & infallibilitate (de qua statim) cum qua non consistit ejusdem falsitas. Colligitur etiam ex Tridentino sess. 6. c. 8. ubi præmissò, quod quilibet de sua gratia formidare & timere potest, subdit: cum nullus scire valeat certitudine fidei (defectu scilicet revelationis) cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Hæc satis apertè supponere videtur veræ fidei certitudinem, eamque talem, cui non potest subesse falsum. Similiter c. 12. docet neminem debere certo statuere, se omnino esse in numero prædestinatorum. Nam (ut postea subdit) nisi ex speciali revelatione, scire non potest, certò scilicet & infallibiliter, quos Deus sibi elegerit. Similiter & de perseverantiæ munere cap. seq. movet, ut nemo sibi certi aliquid absolutè certitudine polliceatur; damnans can. 16. eum qui perseverantiâ do-

21. *Assensus fidei supernaturalis nequis esse falsus.*

num.

num se cerd habiturum absolutam & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione dixerit: Ex qua aliàs præfata certitudo ex mente Concilii refutaret. Supponit itaque infallibilem esse & absolutam certitudinē in rebus & assensu fidei; adeoque non posse subesse falsum. Quod etiam confirmant aliæ Auctoritates postmodum allegandæ.

Ratio, efficax difficilē assignatur. Dari tamen potest hæc, quod ea sit natura actus supernaturalis, & consequenter habitus infusi fidei, ut non possint inclinari nisi in verum. Id autem convenit actui huic ratione suæ excellentis perfectionis, ratione cuius per se exigit Deum ut propriam suam & specialem causam. Ut proinde non videatur tantus defectus sive macula posse cadere in actum supernaturalem.

Confirmatur: quia fides indubiè est essentialia virtus infusa intellectualis; adeoque ex natura sua elicere non potest, nisi actus determinatè veros. Deinde datur ad perficiendum hominem in statu gratiæ & supernaturali, atque adeo ex natura sua solum potest conferre ad actus, quibus homo sic perficitur; quales non sunt, nisi actus veri, conformes doctrinæ & disciplinæ cælesti, à qua hauriri debet, quidquid in ordine ad salutem perficit; à quo tamen non procederet, si veræ revelatio Dei non præcessisset.

22. Objicitur I. Experientia docet rusticum eodem modo assentiri articulo verè revelato, & alteri non verè revelato, ex instructione Parochi, cui fidem proponenti credere tenetur, etiam dum proponit non revelatum, si absit ratio dubitandi: ergo utriusque articuli assensum elicit ex concursu fidei, infusæ. Nam sanè revelatio non movet, quatenus à parte rei subest, sed quatenus subesse putatur, & intentionaliter in mente subsistit. Ut proinde idem sit planè assensus ex parte objecti, etiam motivi, sive revelatio de facto adsit, sive non, utpote utrobique rōders in re creditam propter Primam Veritatem in revelando. Nec obstat instantia *Soninch disp. 10. d. 4. n. 74.* urgentis, quod si crederem dicta Petri, quem puto esse Joannem, magnæ apud me auctoritatis virum, verè crederem Petro, non autem Joanni (quamvis id putarem) utpote nil mihi dicenti. Nam tali casu verè esset assensus fidei humanæ erga Joannem. Quare hinc potius infertur in casu objectionis verè esse assensum fidei divinæ.

Revelatio putata subesse movere potest ad assensum fidei.

Qui tamen solum esset naturalis.

Resp. itaque Neg. Conf. quia tali casu articulo verè revelato creditur assensu fidei supernaturalis, alteri autem putatiè revelato assensu fidei divinæ quidem, sed naturalis: quorū equidem assensuum differentia non cadit sub experientiam. Ad assensum porro naturalem non concurrit fi-

des infusa, ratione suæ infallibilitatis, & correspondentis in suo actu certitudinis. Unde actus iste nec quidem fidei divinæ seu Theologicæ generatim loquendo, non tamen simpliciter; eò quod hoc nomine simpliciter posito solet intelligi fides infusa seu supernaturalis.

Objicitur II. Actus aliarum virtutum supernaturalium (quæ subiectantur in voluntate) possunt vitari per finē extrinsecum; v. g. vanæ gloriæ: ergo & actus fidei supernaturalis potest (ut sic dicam) falsificari. Resp. actus virtutum supernaturalium voluntatis tantum posse vitari extrinsecè per quamdam denominationem, sic ut formaliter boni, Deoque accepti maneat. At verò actus fidei in se ipso & formaliter debet habere virtutem falsitatis; non autem solum denominatione quâdam extrinsecâ. Unde potius argumentandum: Actus supernaturales voluntatis non possunt formaliter reddi mali, ergo nec actus supernaturalis intellectus fieri potest falsus.

Objicitur III. Actus virtutum supernaturalium possunt versari circa falsum, v. g. adoratio circa hostiam verè non consecratam, misericordia circa pauperem fictum seu putatum talem &c: ergo & fides supernaturalis circa revelationem existimatam. Resp. Dissimulatâ supernaturalitate prædictorum actuum, cum Doctoribus passim Neg. Conf. quia virtus intellectualis versatur circa verum, adeoque circa conformē à parte rei cum objecto; virtus autem voluntatis circa bonum prout per rationem propositum; cuius regulam etiam probabilem aut invincibiliter à parte rei errantem sequendo bene agit voluntas, estque suæ regulæ conformis, non sic virtus intellectualis, cuius regula est veritas ipsius objecti.

Instabis: Prudentia est virtus intellectualis, & tamen inclinat in falsum, ut patet in Jacob prudenter & tamen cum errore iudicante licitum sibi esse accedere ad Liam. Prout etiam errat adorans hostiam, quæ bonâ solum fide putatur consecrata; qui tamen prudenter iudicat illam hostiam sibi esse adorandam. Resp. iudicia ista esse falsa, & Prudentiæ utentis (quæ virtus non est) non autem docentis, quæ circa regulas universales versatur; quatenus scilicet infertur ex his præmissis: Licitum est accedere ad suam, hæc est talis: Adoranda est hostia consecrata; hæc est talis. Recta tamen est huiusmodi actio, quia ad hoc sufficit iudicium verum aut invincibiliter existimatum tale. Quamvis in similibus casibus posset adesse verum Prudentiæ iudicium; sive absque discursu, quatenus posita notitiâ circumstantiarum, in quibus non occurrit ratio dubitandi, quin v. g. sit uxor, exterminis satis patet licitè accedi ad talem personam: sive formando præmissis hoc v. g. modo: Licitum est accedere ad eam, quæ

hic & nunc invincibiliter putatur sua, hæc est talis.

26. *Objec. IV.* Objicitur IV. Judæus instante Christi natali credens fide supernaturali Christum nacturum, eundem actum continuare potuisset Christo jam nato; qui proinde exinde fallus fuisset. Resp. Assensum hunc Judæi determinatè respicientem tempus adhuc futurum, non fuisse Fidei Theologicæ, sed conjecturalem; cum ei non fuerit revelatum determinatè tempus, quo Christus nasceretur: ut proinde assensus fidei tunc debuerit respicere Christum aliquando nasciturum, abstrahendo à differentia futuri temporis, aut certè respicere futuram declarationem Christi nati, seu adventus Christi, ipso nato factam pluribus, ipso & Joanne prædicante ceteris. Quòd si tamen ex speciali revelatione aliquis hujusmodi assensum fidei elicuisset, is mansisset verus etiam Christo nato, supposito quòd propositio semper significet idem instans, puta tempus futurum post instans quo primùm elicitur; ut Plures volunt: aut si durante assensu jugiter succedat significatio diversi temporis, puta futuri post instans respectivè præsens (quod putant ij, qui celsent propositionem contingentem posse transire de vera in falsam) assensus non poterit manere idem, sed necessariò mutabitur insensibiliter, impleto tempore, quod respiciebat ipsa revelatio.

27. *An assensus fidei possit falsum per accidens esse causa assensus falsi.* Petes, an possit assensus fidei esse causa assensus falsi? Resp. propriè & per se loquèdo Neg. ex vero enim præsertim supernaturali, per se non sequitur, nisi verum. Per accidens tamen & impropriè potest quodammodo esse causa assensus falsi, si videlicet conclusio falsa inferatur ex præmissa fidei, junctâ aliâ falsâ. Nam sic etiam ex primo principio (uti & ex aliis evidentissimis principiis) potest inferri falsa conclusio citra præjudicium suæ perfectionis. Nec est inconveniens, quòd causa ex se bona & perfecta ob consortium causæ vitiosæ sit causa per accidens effectus vitiosi, & ad eum partialiter concurrat; uti potentia progressiva cum cruce vitiatæ, ad claudicationem: potentia generativa cum causa aliâ malè affectâ ad generationem monstri.

Ipsiussq; falsitas. Estque tunc etiam per accidens causa seu occasio & conditio sine qua non ipsius falsitatis; secus quàm Deus concurrens cum creatura libera ad actum malum, qui nullo modo est causa malitiæ: nam falsitas causatur, quatepsum causatur substantia actus falsi; utpote cui competit falsitas, non quia ab hac vel illa causa, hoc vel illo modo procedit, sed præcisè, quia est difformis objecto: malitia autem consequitur actum, non quovis modo, sed quatenus procedit liberè à creatura contra legem & conscientiam. Propriè nihilominus & per se falsitas in præsentem causatur à connexione non subsistente medii cum extremis in

Que sit illius propriè & per se causa.

antecedente; qui defectus per se oritur ex præmissa falsa: uti effectus vitiosus in exemplis præmissis per se adscribitur causæ imperfectæ, per accidens perfectæ. Præmissa enim vera ex se inclinans ad verum, ex concursu præmissæ falsæ detorquetur & adhibetur ad falsam conclusionem; quæ quidem falsa est per se ob similem defectum in antecedente, scilicet in præmissa falsa. Sic ex verò testimonio Joannis testantis Petrum occisum ab eo, qui tali tempore fuit ingressus ejuisdem cubiculum, & falso testimonio Andree testantis solum Jacobum tunc fuisse ingressum, iudex erroneè ceniebit Jacobum esse homicidam: cuius tamen deceptionis non cenletur propriè & per se causa testis veridicus, sed alius fallus.

28. *Assensus fidei est certus.* Dico II. Assensus fidei est certus. Ita omnes Theologi. Patet ex verbis Tridentini *præc. Conclus.* relatis. Et consonat Scriptura *2. ad Timoth. 1. Scio cui credidi. & certus sum &c;* utique ex verbo Primæ Veritatis, potentis facere quod dixit. Quæ certitudo etiam apparet manifestè in fide Abraham laudatâ ad Rom. 4. qui contra spem naturæ credidit divinæ promissioni futuri seminis, & non habuit diffidentiam, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quacumque promissit Deus potens est & facere. Ideoque ad Hebr. 11. Fides describitur *Substantia* sive existentia sperandarum rerum, quatenus fides eas quodammodo nobis præsentem exhibet, dum de iis nos aded certificat, ac si manibus tenerentur; certiores verò facit, quàm si vel oculis essent conspecta, vel ratione demonstrata; prout ex Chrysostomo, Theodoro & reliquis Græcis exponit *Epist. ibid.* Quo sensu Apostolus de Moysè subdit: *Invisibilem tamquam videns sustinuit;* id est, Deum fide intuens tamquam si oculis videret, omnia dura toleravit. Eandem certitudinem arguit altera descriptionis pars, scilicet *argumentum non apparentium,* sive (ut apud Augustinum alioque veteres Latinos subinde legitur) *Convictio,* vel (quod Græca vox sonat) ostensio ac demonstratio; quia nimirum res, etiam si sensu aut ratione non comprehensas, tam certò oculis mentis nostræ repræsentat, ac si reipsâ coram positæ essent, utrumque reclamet sensus noster carnalis, ut rectè *Epist. sup.* Accedunt Patres, *Basilius in Moral. Reg. 80. c. 21. proprium fides* dicens, quod sit *certissima animi expletio de divinorum verborum veritate &c.* Item proprium fidelis esse, ut cum ejusmodi certa animi expletione veram esse illorum vim credat, que dicta sunt in Scriptura &c. *Chrysostomus Hom. 21. in Epist. ad Hebr.* Neque fides dici potest, nisi cum circa ea que non videntur, amplius, quàm circa ea que videntur, certitudinem quis habuerit. *Bernardus Epist. 190.* post plura in hæc rem contra *Petrum Abasilardum* præmissa, *Non est (inquit) fides estimatio, sed certitudo.*

Ratio

Quaest. IV. An Fides actualis sit ad salutem Necessaria? 145

Ratio sumitur, partim ex infallibilitate Dei revelantis, à qua objecta etiam aliàs contingunt, quò ei verè substant, sumunt eatenus maximam immutabilitatem; partim ex supernaturalitate, ipsius fidei habitualis, vel auxilii supplementis defectum habitus, & consequenti firmà adhesionem ad rem creditam.

29. Immo est certior scientiis à cognitione.

Dico III. Fides est certior scientiis notitiis. Est etiam communis Doctorum; et si non omnes conveniant in modo explicandi. Colligitur ex Scriptura: nam ratione summæ certitudinis fidei Apostolus 2. Cor. 10. dixit: *In captivitate redigenti omnem intellectum in obsequium Christi*, scilicet per fidem. Quo loco vult Apostolus significare, quòd fides efficiat, quòd quis abneget omnem rationem & evidentiam, quæ aliquo modo videtur doctrinæ fidei adversari. Et ad Galat. 1. ait: *Licet nos aut Angelus de celo Evangelizet vobis, præterquam quòd Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ubi docet nobis ita adhærendum rebus fidei, ut nulla ratio vel auctoritas quantumvis gravis ab iis credendis possit nos dimovere.

Accedunt Patres, Chrysostomus & Basilus præc. Conclus. relati. Adde aliud ejusdem Basilii in illud Psal. 115. *Credidi propter quod locutus sum, dicentis, fidem invitare animum, imò & persuadere ad confessionem præcunctis rationalibus methodis.* Item illud Augustini 1. 7. Confess. c. 10. *Audio . . . & non erat proferus unde dubitarem, faciliusq; dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

Ratio sumitur ex summa infallibilitate motivi fidei, quòd est Summa veritas revelans, cuique magis implicat subesse falsitatem, quam mediis creatis aut lumini naturali, quibus aliæ cognitiones nituntur; cui accedit infallibilitas ipsius habitus infusi, qui nequit efficere assensum non subsistenti revelationi innixum. Huic porrò certitudini cognitionis adjuncta est pariformis certitudo adhesionis, quæ tanta est, ut fidelis paratus esse debeat, prout etiam paratus est, negare potius veritates, quantumvis appareant evidentes, quam dimoveri à credendis iis, quæ per Ecclesiam credenda proponuntur.

30. Cur magis vacillamus in incertis subjectis quam in firmis evidentiis.

Fatendum nihilominus fidem esse subjectam incidentibus dubitationibus (quas tamen Fidelis voluntariè fovere nequit) & tentationibus contrariis, quibus ipsa interdum subvertitur de consensu voluntatis; idque ratione in evidentiæ, quam motiva credibilitatis non causant, ideoque intellectum non cogunt, sicut medium scientificum: quamvis sint talia, ut mysteriis ita propositis prudenter adhiberi possit & debeat firmissimus ac summà veracitate dignus assensus, atque adeò cum firmitate (ut sic dicam) appetitativa veritatum fidei ob respec-

tum divinæ auctoritatis revelantis, cujus nomine & tamquam dicta ejusdem adeò creditur, & proponuntur. Unde hæc firmitas adhesionis roboratur per piam affectionem, ac insuper divinam motionem.

Dices, saltem assensus hujus disjunctivæ, *Deus est Trinus, vel non est Trinus*, apparet certior assensu fidei de hac, *Deus est Trinus*; idque ratione evidentissimi principii: *Quodlibet est vel non est.* Resp. Neg. Ass. Certitudo enim prioris assensus solum est naturalis, at certitudo & necessitas objecti fidei est sublimior, ut pote fundata in veracitate Dei. Neque principium allegatum quatenus naturaliter evidens, est fundamentum fidei: non enim ideo assentior determinatè uni parti, & dissentio parti contradictoriæ, quòd lumen rationis ostendat Deum non posse simul esse Trinum & non Trinum, sed alterutrum tantum; verum quia Deus revelavit veritatem hujus, Deus est Trinus; hoc ipso autem simul revelavit falsitatem contradictoriæ.

31. An disjunctiva ex cōtradictorie sit certior unâ parte revelatâ.

QUÆSTIO IV.

An Fides actualis sit ad salutem Necessaria?

SUPPONO fidem actualem non esse necessariam ad salutem parvulis baptizatis ante usum rationis morientibus: hi enim fidei actualis incapaces salvantur per fidem, & charitatem habituales seu gratiam in baptismo acceptam. Quam non nisi novo peccato mortali (cujus sunt incapaces) possunt amittere. Qui etiam suscepto baptismo, etsi actum credendi non habeant, inter fideles computandi sunt juxta Tridentinum sess. 7. can. 13. de Baptismo. Idem est de adultis in infantia baptizatis, qui antequam committant peccatum mortale, ex hac vita decedunt, etsi nullo actu fidei elicito, ratione invincibilis ignorantie aut inadvertentiæ. Quæstio itaque est de adultis peccatoribus, qui ut salvi fiant, debent per actus proprios se disponere ad justificationem.

32. Qui salvari possint sine fide actuali per habitum.

De his porrò certa doctrina tradit actum fidei supernaturalis eis esse omnino necessarium necessitate (quam vocant) medii ad justificationem, & per consequens ad salutem. Pro quo

33. Adulto peccatori fides actualis non necessaria est necessitate medii. Qui hæc necessitas distinguitur à necessitate præcepti.

Nota necessarium censerè necessitate medii, sine quo finis, v. g. justificatio & salus, obtineri omnino nequit, saltem de lege ordinaria, quantumvis inculpabiliter omittatur: necessarium autem necessitate præcepti esse, ad quod ex præcepto quis obligatur, peccaturus, & gratiam, si habet, amissurus, si culpabiliter non impleat. Unde quod excusat ab obligatione præcepti (uti ignorantia invincibilis, vel impotentia) tollit quoque hanc necessitatem, sic saltem, ut non

ut non noceat, etsi non impleatur. Secus est, dum est necessitas mediæ. Unde parvulum in utero mortuum non juvat baptismi impossibilitas, ut non damnetur.

34. Probatur assertio ex Scriptura.

Probatur Assertio ex Scriptura, ad *Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo.* Ubi est sermo de adultis eorumque fide actuali; de qua mox subditur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Cujus quoque fidei exempla de Abel, Enoch, Abraham & aliis antiquis Patribus profert Apostolus, per ea necessitatem credendi in ordine ad placendum Deo confirmans. Quam necessitatem etiam alibi inculcat. Probatur II.

Tridentino.

ex *Tridentino sess. 6. c. 6.* ubi requirit fidem ut dispositionem ad justificationem. Et *c. 7.* vocat Baptismum Sacramentum fidei, sine qua, inquit, nulli unquam contingit justificatio. Et *c. 8.* ait: *Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Probatur III. ex communi consensu Patrum. Nobis sufficit illud *Augustini Serm. 38. de Temp. Fides est humana salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis exequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Plura alia testimonia *Augustini, Irenæi, Basilii, Ambrosii & Leonis* vide apud *Valentia disp. 1. de fide q. 2. punct. 2.*

Et consensu Patrum.

35. Sententia opposita refertur & censuratur.

Oppositum tenuit *Soto l. 2. de Gratia c. 11. primum.* Impressionis Venetæ (ipso teste in seq. Edit. in qua idem retractat) censens adultos, quibus numquam Evangelium est prædicatum, posse justificari solâ cognitione Dei naturali, si habeant supernaturalem actum amoris Dei. Immo nec hunc requirit *Vega l. 6. in Tridentinum c. 20.* Quorum doctrina acriori centurâ notatur à Theologis; adeo ut *Suarez disp. 12. sect. 2. n. 5.* dicat esse errorem in fide, Alii dicant esse hæreticam. Pro quibus nihilominus.

Scripturam adstruere necessitate fidei majorem quam baptismi unde colligatur.

Dices I. Scriptura urgens necessitatem fidei posset intelligi de necessitate in re aut voto; prout constat intelligendam Scripturam, quæ inculcat necessitatem Baptismi *Joan. 3.* Resp. Neg. Ass. nam modus loquendi, junctus dictis Conciliorum & Patrum, omnino id convincit de fide; non autem de baptismo, quem in necessitate posse suppleri per contritionem charitate perfectam ipsamet Ecclesia & Patres conformiter ad alias Scripturas declarant. Nec apparet, quis actus assignari posset, ut suppleret instar voti defectum omnis fidei, quæ est initium & fundamentum omnis justificationis.

36.

Dices II. Apostolus ad *Rom. 1.* dicit Philosophos justè esse damnatos, eò quòd cum naturaliter cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt: ergo secundum Apostolum habuerunt sufficientem

cognitionem ex naturalibus ad glorificandum Deum; prout oportuit ad salutem. Resp. Neg. Conf. Apostolus enim tantum docuit, quòd Philosophi illi per cognitionem naturalem potuerint honorare Deum, & idololatriam, ac cetera vitia cõtra naturam deferere; quod quia non fecerunt, potuerunt impedimentum gratiæ ulteriori, & traditi sunt in reprobum sensum. Vide *Estium in d. cap.*

Dices III. Ad *Rom. 2.* dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legibus sunt, faciunt.* Et immediatè præmissum dicit quòd *factores legis justificabuntur:* ergo illa cognitio naturalis poterat sufficere ad justificationem. Resp. Neg. Conf. Nam intelligendo hunc locum cum *Cajetano* & aliis de Gentibus fide carentibus, non significat Apostolus, Gentes omnia quæ legis sunt, sive totam legem naturalem implevisse, sed aliquid ex lege: & hoc sufficiebat ad intentum Apostoli, ut nimirum ostenderet legem naturalem esse scriptam in cordibus hominum, & non esse opus lege scriptâ. Unde quòd præmittit, factores legis esse justificandos, necessariò consequenter intelligi debet de iis, qui totam legem per gratiam Dei adeoque non sine fide observant. Intelligendo autem cum *Augustino* variis locis, *Prospero, Fulgentio* (quos sequitur *Sasbouth, Estium* aliique complures) de Gentibus fide imbutis, sive Christi adventum præcesserint, sive secuti sint, manifestum est, non excludi fidem & gratiam mediatoris, sed solum legem scriptam, sine cujus adminiculo Gentes legem implent naturaliter, id est, ex natura per gratiam reparata (ut exponit *Augustinus lib. de Spiritu & Lit. c. 27.*) adeoque duce lumine naturalis rationis, junctâ gratiæ fidei, absque magisterio Legis scriptæ. Et hoc modo factores legis justificantur, partim justitiam primam comparando, partim augendo, partim (quod juxta *Augustinum* est scopus Apostoli) faciendo, ut justii judicentur & habeantur apud Deum.

Dices IV. Hinc sequeretur ignorantibus invincibiliter mysteria fidei deesse media sufficientia ad salutem. Resp. Neg. Sequenter autem his ex bonitate Dei media sufficientia non desint Vide *Tract. de Grat. disp. 3. q. 5.* Dico, Ex bonitate Dei: nam justè potuisset illos Deus sine omni medio in barathro culpæ derelinquere, etsi ex misericordia cupiat etiam hos salvare.

Dices V. Potest quis per dilectionem Dei super omnia, vel perfectam contritionem salvari: hanc autem posset quis elicere cum gratia Dei, etsi præcedat sola nõticia naturalis Dei summè boni, & per peccatum offensi. Resp. posse peccatorem salvari per actum dilectionis & contritionem perfectæ, sed supernaturalis: hunc autem elicere nequit de lege ordinaria sine prævia directione fidei supernaturalis, ut patet

Philosophi gentiles non fuerunt sufficienti nõticia ad glorificandum Deum salutariter.

37.

Explicatur illud Apostoli ad *Rom. 2.* Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.

38.

Actu voluntatis humanæ per naturalem præcognitionem auctoris sui patet

pernaturalis de lege ordinaria.

patet ex Scriptura & Tridentino relatis, ubi indubiè est sermo de fide supernaturali. Congruentia est, quod cum justificatio sit adoptio in statum supernaturalem filiorum, deceat præcedere supernaturales dispositiones in intellectu & voluntate, per actus fidei, poenitentiae; quodque actus voluntatis supernaturalis ut condigne & supernaturaliter in objectum tendat, exigat proportionatam tendentiam & propositionem ex parte intellectus.

39. Esi non repugnet de potentia absoluta, aliquem sine fide supernaturali justificari.

Dixi, de lege ordinaria: nam non apparet repugnantia, cur si Deus omnipotens vellet, non posset in primis adultus justificari sine fide supernaturali, uti & sine proportionato actu voluntatis. Deinde cur requisito actu voluntatis supernaturali, non posset is absolute elici sine prævio actu supernaturali intellectu. Congruentia enim allegata procedit, suppositis revelatis, nec alioquin negans per illum convinceretur. Denique et si foret necessarius actus supernaturalis intellectu, posset absolute dari quædam supernaturalis cognitio Dei distincta à fide.

40. Opinio assertiva sufficiens de facto notitiam gratiam ex creaturis hauriam referunt.

Immo Ripalda apud Lugo d. 12. de fide sect. 1. fufè disputat pro ea doctrina, quod de facto fides strictè dicta fundata in revelatione Dei non requiritur ad justificationem, sed posset sine ea justificari quis per notitiam Dei hauritam ex creaturis (quam gratuitam & supernaturalem censet) & consequentem amorè supernaturalem Dei. Et quamvis fateatur se nil definire, satis tamen (inquit Lugo) indicat quantum in sententiam illam propendat, & quantum probabilitatis ei tribuat.

Reprobatur.

Nihilominus ipse Lugo sup. & sect. 2. merito illam refutat, & argumenta Ripalda fufè solvit. sect. 3. Breviter autem refutatur ex eo, quod Scriptura & Concilia manifestissime loquantur de fide strictè dicta. Quæ communis est istius vocis, etiam in Ecclesiasticis Conciliis & Scripturis, usurpatio. De ea (inquam) loquuntur, quam peccatores ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, ut loquitur Tridentinum sess. 6. c. 6. explicans dispositiones ad justificationem.

QUESTIO V.

Quorum Fides sit Necessaria necessitate Medii?

41. Quæ fides explicita, quæ implicita.

NOTA I. Fidem mysteriorum, aliam esse explicitam, quæ nempe cognoscuntur ipsa in terminis, seu secundum se; v.g. Deum esse unum in natura, trinum in personis, Christum esse natum &c: aliam implicitam, quæ cognoscuntur mysteria non secundum se, sed tanquam involuta seu contenta in alio, v.g. in aliqua ratione ge-

nerali. Sic cum explicite creditur, quidquid dixit Dei Filius, quidquid credit Ecclesia, quidquid continetur in Scriptura &c, implicite creduntur omnes particulares veritates à Christo revelatæ, ab Ecclesia creditæ, in Scriptura contentæ &c. In ipsa quoque fide explicita sunt gradus: nam alia est confusa, alia distincta. Una quoque est confusior vel generalior altera: una distinctior altera.

Nota II. Curatores animarum indubiè obligari ad instruendos homines in omnibus iis, quæ juxta probatorum Auctorum sententias sunt necessaria scitu necessitate medii. Etsi enim juxta aliorum probabilis doctrinas pauciora requirantur, indeque proveniat solamen aliquod de possibili salvatione pleraque ignorantium, liberiorque dissimulatio circa confessiones & absolutiones præteritas cum ignorantia hujusmodi peractas: tamen si reverà rigidiores sententiæ sint veræ, probabilitas laxiorum non proderit, quin ignari maneat sine justificatione, & que adeo salute. Et planè longè utilius instituerentur coram plebe, etiam in oppidis sæpe parum instructa, Conciones catecheticæ, quàm aliæ, in quibus subtilizantur loca Scripturæ, & conceptus ac discursus captum plebis excedentes proponuntur; prout tamen frequenter fieri videmus. Prædictæ porò obligationi satisfiet, si curent sibi commissos instrui in iis, quæ noscuntur esse scitu necessaria, saltem necessitate præcepti, quibus abunde continentur quæ vel probabiliter sunt necessaria necessitate medii. His Notatis.

42. Notandum curatoribus animarum pro praxi in presentia materia.

Certum in primis esse debet, fidem explicitam Dei, sub ratione ei propria & à creaturis distinctivâ, puta Entis increati, ceterorum Creatoris, fuisse omni tempore necessariam: numquam enim potuit adultus justificari, nisi accedendo ad Deum pro venia, idque per dilectionem Dei aut poenitentiam. Et hæc ratione generaliter verum est, quod ait Apostolus ad Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est. Quare contra, fidem omnium illorum esse necessariam, circa quæ versari debeat actus voluntatis necessariò prævius ad justificationem. Ad hanc porò extra Sacramentum requiritur per se loquendo contritio perfecta, quæ videlicet est detestatio peccati tamquam supremi mali, seu quatenus est offensa Dei tamquam Summi boni; adeoque exigitur noxia de peccatis, quod sint offensa Dei, quodque is peccatis offendatur. Attamen quia poenitentia formalis non ita quovis casu est necessaria, quin sine ea posset quis justificari per amorem Dei super omnia, consequenter in casu extraordinario videtur (ut Varii advertunt) fieri potuisse, quod quis ignorans Deum peccatis offendi (ut si esset peccatorum immemor) si cum gratia Dei eliceret

43. Fides explicita Dei semper fuit omnino necessaria.

cliceret amorem Dei super omnia, justificaretur, adeoque saluaretur sine praedicta noticia. An autem id aliquando factum sit, certo asseri non potest: quinimmo credibile est, quod non: perfecta enim & supernaturalis dilectio Dei super omnia actus est adeo rarus & arduus ut non sit natum, eam reperiri in animabus adeo imperfectis ac ignorantiae bathro immerfis: etsi manus Domini potens id praestare posset, si velit.

44.
Fides explicita remunerationis in altera vita semper necessaria fuit.

Secundo communiter admittitur, necessariam esse explicitam fidem Dei remuneratoris, juxta illud Apostoli supra: *Crederet oportet, quia est, & inquirentibus se remunerator sit, siue sit.* Ubi planè est sermo de remuneratione futuræ vitæ (in qua etiam innotescit providentia Dei nostra curantis, utpote præmiatoris bonorum & vindicis malorum) ad quam (ut ex contextu satis apertum est) aspicebant Pastres ibidem specificati: quos omnes docet salvatos per hoc, quod Deum inquirerent fide vivâ, præ oculis habentes ipsum Deum ejusque remunerationem. In qua proinde continetur etiam fides alterius vitæ post hanc. Estque moraliter loquendo necessaria omnino hujusmodi noticia: ad perfectum enim gradum dilectionis justificantis non pervenitur regulariter, nisi aliquando saltem & in principio mediante noticia & spe melioris vitæ futuræ, nec sine ea stabiliter quis Deo placebit. Quamvis juxta *Arriaga disp. 12. sect. 4. n. 27. & seqq.* & alios, non requiratur expressa istius objecti fides in omni casu physico & in omni accessu ad Deum; uti sanè non solum in justificationis augmento, sed etiam in quotidiana reconciliatione peccatoris satis de hoc instructi interdum contingere posset, ipsum accedere ad Deum procedendo ad actum contritionis sine prævio actu spei aut propositione objecti ejusdem. Quare videtur *Arriaga* simpliciter id quoque posse accidere in casu raro, quo quis ante propositam fidem de hoc puncto, post sufficientem tamen instructionem (quæ successivè & per partes fit) de bonitate summa Dei per peccata offensa, prorumperet in actum perfectæ dilectionis & contritionis. Ut proinde ex subjecta materia colligatur ab Apostolo quidem semper requiri fidem explicitam Dei, non tamen sic explicitam remunerationis, quin in casu raro sufficiat implicita. Cujus nihilominus, fides explicita manet in præcepto, adeoque debet sciri & credi. Sicque est necessaria necessitate mediæ latè dictæ, quatenus est medium ad justificationem conducens, immo præceptum, cuius proinde noscendi & credendi manet etiam post justificationem directa obligatio.

45.
Fides mediatoris explicita, an vel qualiter

Tertio fidem explicitam mediatoris omni tempore fuisse necessariam, Plurimi putant: aut saltem à tempore legis Mosaicæ, ut Nonnulli refringunt, adeoque à fortiori

tempore legis Evangelicæ. Immo hoc tempore necessariam esse notitiam Incarnationis Christi, quod scilicet Deus homo factus, suâ passione & morte nos redemerit à peccati servitute tenent multi Doctores, etiam recentiores, idem extendentes ad mysterium Sanctissimæ Trinitatis, veluti cujus noticia explicita habetur vi noticia Incarnationis. Pro qua sententia etiam referuntur *Alensis, D. Bonaventura, D. Thomas, Scotus, & alii*; qui tamen loquuntur vel explicari possunt de necessitate præcepti.

In hac re recensio omni tempore fuisse necessariam fidem mediatoris saltem ex præcepto; uti juxta omnes post promulgationem Evangelii necessaria est noticia Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Christi. Est enim communis sententia. Nam propterea nil adeo insitum fuit ab initio usque modo Judæis, quam noticia venturi aliquando Messias. Quam quidem notitiam habuerant ex Patribus per traditionem. Eademque traditio videtur ab Adam, Henoch & Noë (quibus revelatus fuit Messias) ad alias quoque extra Hebræos familias Deum colentes traducta, aut per Judæos communicata; ut si qui extraordinariè fuerint in fide unius Dei instructi, pariter videtur fuisse instructi in hoc mysterio tamquam scitu necessario, utpote capitali pro statu naturæ lapsum, cuius Messias est receptor, uti Deus hominis integri, totiusque mundi creator. Quo sensu intelligi potest *Augustinus 18. de Civit. 6. 47.* ubi agens de iis, qui olim ex Gentibus salvati sunt, ait: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unius Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus &c.* Ubi non tam asserit absolutam necessitatem mediæ, quam quod de facto nullus fuerit etiam in isto statu justus sine fide explicita mediatoris.

Nullatenus tamen debuit, etiam tempore Legis veteris, haberi noticia explicita incarnationis aut divinitatis vel passionis & mortis Christi. Idemque est de mysterio Trinitatis. Non enim fuit hujusmodi noticia ex natura rei necessaria, ut patet: neque etiam ex positiva ordinatione Dei; quæ non satis ostenditur. Immo ostenditur potius oppositum: cum plerique Judæi, præ ceteris Dei cultoribus magis instructi, ista mysteria planè ignoraverint, exceptis paucioribus illuminatis Patriarchis aut Prophetis: neque in veteri Testamento fuerint istis expressa aut promulgata, ut populus communiter posset aut certè teneretur ea credere.

Nec obstat *Nazianzenus Orat. 20. de SS. Machabeis* in init. dicens, quod ratio omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse, seu (ut habet *Verfio Jacobi Billii, & consonat Verfio Bilbaldi Perckheymeri*)

ante legem novam necessariam.

46.
Illo tempore non fuit necessaria fides explicita Incarnationis aut Trinitatis.

Locus Nazianzenus elucidatur.

heymberi) id circa Christi fidem esse consecutum. Nam etsi loquatur de fide explicita Christi, eam tamen non requirit tamquam mediū generaliter & omnino necessarium: quia loquitur ibi de solis martyribus, de quibus dicit probabile esse, quod sine fide in Christum nōmo veterum sit de facto martirium consecutus. Quāquam enim (uti subdit) Verbum suo postea tempore libere promulgatum est; puris tamen animis etiā ante innovit: quemadmodum ex multis, qui ante ipsius natiuitatem honoribus affecti sunt, liquido perspicitur potest. Ubi hanc prærogatiuam facit peculiarem excellentioribus quibusdam & puris animis.

47. An casu raro potuerit obtineri iustificatio sine fide explicita mediatoris.

An autem explicita fides Mediatoris sub generali saltem conceptu mittendā Deo, qui mundum Deo reconciliat, fuerit semper ideo necessaria omni casu, ut inuincibiliter id ignorans non potuisset iustificari per fidem unius Dei; non ita constat: cum Plures existiment fuisse ita necessariam: Alii è contrā negent, non sine fundamento, eò quod onus oppositum non satis videatur probari, uti deberet: & aliunde fides Dei propositi tamquam summi boni per peccata offensi videatur posse sufficere ad contritionem cum gratia Dei, quam fuisse negandam generaliter omnibus ignorantibus venturum mediatorem gratis videtur asseri.

48. In lege noua fides incarnationis & Trinitatis est necessaria.

At tempore Novæ Legis satis apud omnes constat, esse saltem præceptam omnibus notitiam fidei explicitam de prædictis mysteriis, veluti quæ sunt capitales articuli fidei Christianæ; cuius auctor est Christus, cuiusque corpori inserimur per baptismum in nomine Trinitatis collatum. Suntque adeo primi articuli, quos Apostoli & prædicatores fidelibus annuntiant, quippe tantā sollicitudine omnibus à pueritia inculcantur. Unde cum sit fides eorum præcepta, & per se loquendo in iudicis ante omnia proponantur, sitque adeo prærequisitum per se loquendo medium ad iustificationem, quæ si casu raro obtenta sit, adhuc debent nihilominus illa adfisci & sciri, sicque præcedit eorum fides saltem in voto (quod aliis præceptis non conuenit, ut patet) idcirco possent alicui necessaria necessitate mediū saltem latè dictā, ut notat Lugo d. 12. scilicet. 3. num. 106. quamquam id pertineat ad modum loquendi.

49. An in omni casu etiam inuincibiliter ignorans.

An verò sint ita scitu necessaria necessitate mori, ut si quis inuincibiliter ea aut eorum aliqua ignoret, instructus tamen fide sufficienti ad inquirendum Deum pro uenia peccatorum, non possit iustitiam consequi, est dubium. Fieri enim potest, ut quantumvis constet notitiam prædictam non esse necessariam ex natura rei ad contritionem & dilectionem perfectam, Deus tamen nolit aliā dare gratiam poenitendi aut diligendi. Sed quia hoc du-

Herincx Sum. Theol. Pars III.

rum videtur, & sine valde urgenti fundamento (quod difficulter assignatur) non debet restringi gratia Dei, aut ampliari necessitas; tam præemptoria præsertim, sciendi explicitè tot puncta, non sine verisimilitudine docent nos Michael Medina, Suarez, Turrianus, Lugo d. 12. scilicet. 4. num. 91. & plures alii, posse per accidens in casu raro iustificari inculpabiliter ignorantium prædictorum mysteriorum. Maxime cum contingere queat ob penuriam temporis, non posse instructionem de omnibus adhiberi periclitanti v. g. de vita, cui tamen proposita æternitate instante, Deoque optimo per poenitentiam sibi reconciliando, non sit credendum denegari gratiam poenitendi.

Accedit, quod nonnulli adeò rudes sint, ut videantur incapaces percipiendi mysterium Incarnationis, & maxime Trinitatis. De quibus saltem non dubito, quin possint iis non cognitis iustificari per fidem eorum implicitam: cum tales eatenus sint redigendi ad ordinem carentium usu rationis.

Insufficienter quoque necessitas mediū quoad mysterium Trinitatis à quibusdam infertur ex mysterio Incarnationis: nam posset simpliciter sciri Deus homo absque notitia trium personarum: uti & sciri, quod Filius Dei sit factus homo, absque notitia Spiritus sancti.

Notitia Trinitatis non necessario connotatur notitia Incarnationis.

Infundatum quoque est, quod Bannez & nonnulli alii docent fidem explicitam huiusmodi mysteriorum, non quidem requiri omnino necessario & omni iustificationem, tamen ita requiri ad salutem. Nam sic iustificati indubiè saluentur, si in iustitia perseverantes morentur; quod veluti de fide non possunt hi Doctores negare, uti neque negant (ut hinc proinde eorum sententiam Nonnulli frustra oppugnent) gratis autem dicitur, quod Deus nō permitteret quemquam huiusmodi mori in gratia, nisi instructum prius in istis mysteriis: præsertim cum contingere posset huiusmodi iustificatio in persona mori aut privationi usūs rationis vicinā.

Opinio distinguens inter necessitatem ad iustificationem & necessitatem ad salutem reseruat.

Nec refert, quod Cornelius, centurio jam iustificatus esset ante prædicationem Petri: Sed (ut ait Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap. 7.) si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum adificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus; ergo &c. Nam iuxta varios Patres & Doctores Cornelius non erat perfectè iustificatus, sed solum iustitiā quādam morali præditus, sicque cessat intentum Bannez. Dicendo autem cum aliis Patribus & Doctores passim (quod credibilissimè dicitur) eum jam fuisse iustificatum, adhuc tamen indigebat instructione in fide explicita Christi, quæ in noua lege per se requirebatur, & ex tunc ceperat obligare in ista

Exemplum Cornelii Centurionis expenditur.

in ista regione, ut advertit. *Senlis 3. parte quæst. 82. Memb. 4. art. 2.* Et constat ex verbis Petri *Act. 10. Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judæam &c.* Unde Petro non veniente, facile potuisset Cornelio advenire ignorantia vincibilis, & damnatio, cui præcavendæ serviebat instructio Petri.

52. *Varia Scriptura explicantur.*

Varia quæque Scripturæ ex *Joan. 3. & II. Act. 16. ad Rom. 3. &c.* allegantur ad probandam absolutam necessitatem medii quoad fidem explicitam Incarnationis & Passionis Christi. Verum partim solum significant credentes explicitè in Christum salvari per istam fidem, non negantes, quin etiam inculpabiliter eâ notitiâ carentes salvari queant: partim excludunt non credentes à salute, id est, qui increduli sunt mysteriis Christianis propositis, adeoque loquuntur de iis quibus fides Christiana satis innotescere potuit: partim loquuntur de fide Christi, non tamquam objecti, sed tamquam causæ meritoria, quatenus omnes salvantur per fidem, quæ datur ex meritis passionis & sanguinis Christi: partim possunt intelligi de necessitate præcepti, seu medii latè dictâ.

53. *Loca Augustini videntur adfirmare necessitatem fidei explicitæ de mysteriis Christi pro quovis tempore.*

Difficultatem præcipuam faciunt dicta Augustini variis locis inculcantis necessitatem omnimodâ fidei explicitæ in Christum Deum hominem, sive ejus incarnationem, mortem & resurrectionem; ut *l. 2. de Gratia Christi, qui est de peccato Originali cap. 24. Epist. 89. & alibi.* Quæ tamen loca si quid probant, videntur nimium probare contra ipsos objicientes, scilicet fidem explicitam prædictorum objectorum fuisse pariter necessariam omni tempore, etiam ante Christum & Moysen, ut ex tenore verborum clarum est: quod tamen communissima doctrinæ repugnat; cum nemo fidem adè explicitam prædictorum mysteriorum conceat fuisse necessariam omni tempore necessitate medii, immo nec præcepti. Necessitas autem moralis fidei explicitæ Mediatoris ut sic, libenter à nobis conceditur, immo & prædictorum mysteriorum pro nova lege.

54. *Ejus intentionem exprimitur.*

Videtur porro certè potissimum Augustini fuisse, contra Pelagium inculcare in primis, quomodo in omni mundi ætate seu tempore salus fuerit ex gratia Christi, ac meritis & efficaciâ incarnationis, passionis ac resurrectionis ejus; ut apparet vigilantè attendenti, quæ habet *l. de Peccato Originali c. 24. & seq.* Agit enim de re tamquam fide certâ: *Sine fide ergo (inquiens c. 24.) incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justî essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat.* Veritas autem Christiana nil indubitanter statuit de hujusmodi fide explicita, sed de necessitate fidei & gratiæ per Christum omni tempore; quod in Pelagio redarguens

Augustinus c. 26. inquit: *Non igitur sicut Pelagius & ejus discipuli tempora dividamus, dicentes primum vixisse justos homines ex natura, deinde sub lege, tertio sub gratia; supple, Christi.* Deinde vult Augustinum doctrinam de necessitate Mediatoris ejusque mortis & resurrectionis non esse liberam, de qua possit utrimquè salvâ fide disputari (cujusmodi varias præmittit c. 23.) sed necessariam, sic ut sine hæresi seu infidelitate nequeat negari. Unde c. 29. concludit: *Quapropter quisquis humanam contendit in qualibet ætate naturam non indigere medico secundo Adam, quia non est vitata in primo Adam, non in aliqua quæstione, in qua dubitari vel errari salvâ fide potest, sed in ipsâ regula fidei, quâ Christiani sumus, gratia Dei convincitur inimicus.*

Quare dum Augustinus c. 24. fidem adè explicitam mysteriorum prædictorum videtur exigere, & rursum c. 26. inculcat non potuisse ullo tempore justificari, neque Christum esse Mediatorem, nisi credentibus in ejus resurrectionem, addens & hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum nescissent: reverà non voluit fidem explicitam adè necessariam omnibus semper fuisse (id enim esset planè falsum) sed fidem ex gratia Christi, quæ quidem in paucis majoribus v.g. Abrahamo & similibus erat explicita; quibus reliquus populus adhærens eadem implicitè credebatur, partim actu interno; partim externâ fidei protestatione per sacrificia, similiaque signa publica, etiam eorum energiam non ita noscerent. Alibi enim Augustinus satis supponit minis perfectam fidem tunc fuisse requisitam, ut videre est *Epist. 47. q. 2. lib. 19. contra Faustum c. 14. Et Enchiridion c. 118.*

Alius Augustini locus de *Corrupt. & Grat. c. 7.* minorem difficultatem habet: scilicet enim ibi vult damnandos, qui non audierant Evangelium, nempe quia infideles (de quibus loquitur) ex infidelitate adeoque peccatis suis (ob quæ damnantur) non emergunt, nisi per prædicationem Evangelicam, quâ utique sola fides vera, regulariter saltem, innotescit.

55. *Idem ex l. de Corrupt. & Grat. explicatur.*

QUÆSTIO VI.

Quorum Fides seu Notitia explicita sit Necessaria ex Præcepto?

REFERUNTUR Nonnulli antiqui, præsertim Canonistæ, docuisse, quod sufficit Christiano credere in communi eadem omnia quæ Ecclesia Catholica credit, non descendendo ad particularia. Sed contrarium apertè supponit Tridentinum sess. 5. c. Ecclesiæ 2. de Reform. statuens, ut Parochi plebem pascant, docendo, quæ scire omnibus necessariam est ad salutem. Præmissam quoque doctrinam ab Inquisitoribus Aragoniæ damnatam

56. *Sententia asserta in generalibus creditur quod creditur probatur.*

tam et ex Emerico refert Sanchez l. 2. in Decalog. c. 3. n. 3. Eandem alii ut erroneam, alii ut hæreticam damnant. Auctores tamen referri solitos excusat Suarez disp. 13. sect. 4. num. 1. velut qui non excluderint omnes profus articulos particulares, cum saltem requirant fidem explicitam unius Dei remuneratoris.

Verum apud omnes indubitatum est, etiam de aliquibus aliis articulis exigi fidem & notitiam explicitam, scilicet Incarnationis & Passionis Christi, Trinitatis &c. Quod partim ex dictis patet, partim dicendis hæc questione magis patebit.

57. Solùm est difficultas ad quas res se hæc obligatio extendat, præsertim tempore legis novæ. Quod enim ad tempus legis naturæ & mosaicæ attinet, nec multum refert scire, neque certum quid habetur, nisi in genere, quod ea credere debuerint, quæ communiter populo proponebantur, servatâ proportionem ad conditionem istius status. In Lege autem Evangelica distingui solet triplex hominum genus, scilicet Majorum (per quos intelliguntur Episcopi similesque Prælati Ecclesiæ) Mediorum (per quos intelliguntur Parochi, Concionatores & similes) & Minorum, per quos intelligitur reliqua plebs.

Triplex genus personarum distinguuntur.

58. Itaque in primis quoad Christianos communiter, adeoque etiam quoad plebem, est præceptum credendi sive sciendi explicitè ea, quæ sunt necessaria necessitate mediæ: quæ utique eo ipso sunt scienda ex præcepto; cum finis præceptus inferat præcepta esse mediæ necessaria. Nonnulli præterea præceptum hoc extendunt ad omnes articulos, quos Ecclesia solemniter celebrat. Sed sine sufficienti fundamento: cum plura Sanctorum festa & mysteria celebret Ecclesia, sive per officium, sive etiam per indictionem festi, quæ certum est rusticum v. g. scire non debere, cui sufficit scire quod sit præceptum abstinendi à carnalibus operibus & audiendi missam. Quare idem est, etiam celebretur mysterium aliquod Christianum concernens, v. g. Transfiguratio, Præsentatio in templo, Circumcisio &c. quamquam indubiè sit consonum ea à Catholicis sciri & credi. Non tamen debet tam gravis obligatio imponi sine claro jure. Quare consonat communis sententia Doctorum.

Necessaria necessitate mediæ sunt pariter necessaria ex præcepto. An mysteria, quæ Ecclesia solemnizat, sint eo ipso scienda necessaria.

59. Contenta Symboli Apostolorum sunt omnibus ex præcepto scienda & credenda.

Vera proinde & communis Theologorum sententia docet inesse obligationem gravem sciendi & credendi contenta in Symbolo Apostolorum, saltem quoad substantiam. Quæ quidem ab omnibus sciri & credi debere etiam exprimitur in Catechismo Pii V. Eadem obligatio colligitur ex perpetuo sensu Ecclesiæ, quæ idcirco etiam antiquitus notitiam explicitam Symboli exegit, antequam admittere vellet aliquos ad Baptismum; ut patet ex Concilio Bracharensi II. c. 1. Agathensi c. 13. Laodiceno c. 46. relatis can. 55. 56. & 58. de Consecr. d. 4. Atque Hericæ Sum. Theol. Pars III.

etiam modo tantam sollicitudinem Parochi in Ecclesia adhibent, ut quilibet hoc Symbolum noyerit. Immo in huc finem ipsum videtur ab Apostolis compositum, ut præcipua fidei Christianæ mysteria, scitu omnibus Christianis necessaria, brevi quâdam formulâ proponerentur. Unde omnes bene instituti Christiani præ omnibus curant, ut Symbolum hoc proles suas doceant. Quod denotat communem sensum Fidelium hac in parte. Et plane Christianus hoc ipso, quod Christianismus profitetur debet scire saltem substantialia capita & fundamenta suæ religionis, oppositumque nimis indecens foret: ea perinde Apostoli prædicto Symbolo ex instructu Spiritus sancti comprehenderunt.

Dixi tamen sufficere, quod contenta Symbolo sciatur quoad substantiam. Ad quod non sufficit, ut quis ipsum memoriâ teneat verbaliter, puta absque ullo intellectu rerum per verba significatarum, aut idiomate ipsi ignoto (cujusmodi multi sunt non callentes linguam latinam, nec tamen scientes Symbolum, nisi latinè) cum id perinde sit, ac non scire, ut patet. Ad idem è contrâ nõ requiritur, ut teneatur memoriâ: quam enim periculosum sit, Symbolum non scire memoriâ, ideoque omni modo ad ita discendum sit conandum, simpliciter tamè & sub gravi saltem obligatione id non requiritur, dummodo sciatur contenta, de quibus per consequens rogatus quis posset aptè respondere. Requiritur igitur & sufficit, ut confusè saltem ac grosso modo sciatur, quod generaliter vocibus in articulis contentis significatur. Quod quidem patet ex ipso simplici textu Symboli, prout jacet ab Apostolis præscripti, & ex communi sensu & praxi. Idem exigebat leve jugum Christi: distincta enim notitia singulorum incongruè fuisset requisita generaliter: sic enim major Christianorum hominum pars moraliter necessariò debuisse carere scientiâ necessariâ. Unde de Trinitate Symbolo expressâ scire sufficit, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum, & hos nequaquam esse tres Deos, sed unum Deum. De Incarnatione, Christum esse Filium Dei, verum Deum, verumque hominem. De conceptu ex Spiritu sancto scire sufficit, Christum esse conceptum sine opera maritali per cooperationem aliquam Spiritus sancti ex Maria Virgine.

60. Non sufficit illud scire memoriâ idiomate ignoto.

An debeat saltem sciri memoriâ.

Contenta vult modo nosse sufficit.

Quod de Trinitate, Incarnatione, conceptu de Spiritu sancto explicitatur.

An autem virginitas Mariæ etiam post partum, sive perpetua, ut vi istius articuli explicitè credenda, disputant Doctores. Afferit Suarez, Coninck, Lugo & alii. Sed rationes eorum non sunt efficaces. Unde alii cum Azorio, Sanchez, Joanne Poncio & aliis non improbabiler negant.

61. An perpetua Maria Virginitas sit ab omnibus credenda.

Similiter circumstantia passionis, quod contigerit sub Pontio Pilato; item refectionis, quod contigerit tertâ die, est

Non est obligatio sciendi quædam



*circumstan-
rias in Sym-
bolo expres-
sas,*

*Nequidem
sepulchram.*

minoris momenti, quam ut in eam cadat obligatio saltem gravis; quamvis levem admittat *Poncius dist. 26. in Comment. num. 101. & seq.* ed quod aliàs non fuisset posita in Symbolo. Similiter apparet de sepultura, quod non sit circumstantia ad eò gravis, sed solum pars articuli, quæ novam aliquam difficultatem non habet, solumque servit confirmationi veræ mortis, declarationique miraculi resurrectionis, quæ utraque supponuntur factis scita & credita.

62.
*Quid con-
sensus de
descensu ad
inferos,*

De descensu ad inferos (qui omissus est in Symbolo Nicæno, & quorundam opinione non fuit ab Apostolis in Symbolo positus, ed quod nonnulli veteres Patres in explicatione Symboli non faciunt de eo mentionem) *Suarez, Castro Palao & alii* censent non esse necessariè explicite credendum. Nihilominus plures alii, quos sequitur *Lugo disp. 13. sect. 4. num. 85.* existimant esse ad hoc per se loquendo gravem obligationem: cum reverà descensus ad inferos, sive ad partes inferiores terræ, fuerit ab ipsis Apostolis in Symbolo positus (quod purum & integrum ab iis accepit & servavit Romana Ecclesia teste *Ambrosio Epist. 7. ad Syricium Papam*) & à *Chrybstomo, Cyrillo, Rufino* expressus; idque non tamquam circumstantia alterius articuli, sed tamquam articulus novus continens aliquid peculiare non parvi momenti. Quævis in Symbolo Nicæno potius supponatur, quam denuo exprimat, ed quod circa illud non erat exortus error apud Hæreticos.

63.
*Quid de
fessione ad
dexteram
Patris.*

De fessione ad dexteram Patris etiam controvertitur, an sit circumstantia necessariè explicite credenda, idque propter ejus difficultatem. Verum existimo rem ipsam per hæc verba significata aequaliter sciri oportere, puta quod Christus in cælo habeat supremum locum seu gloriam post Patrem, in quantum homo est, & æqualem, in quantum Deus est.

*Quid de-
nique de
Communione
Sancto-
rum.*

Denique de Communione Sanctorum ob difficultatem intelligendi, quæ inter Doctores de sensu differentiam parit, censent Plures non esse explicite credendam. Sed quod ad rem ipsam pertinet, non apparet difficultas sciendi, quod sub verbis illis latet, sive hoc sit participatio eorundem Sacramentorum, sive potius participatio mutua bonorum operum & orationum, quæ etiam rudes Catholicos non latet, utpote qui orant Sanctos, mutualque orationes postulant.

*Impotentes
ad intelli-
gendum qua-
dam mysteria,
excusa-
ntur.*

De his itaque omnibus instruendi sunt Fideles juxta ingenii cujusque capacitatem. Quod si verò aliqui sint ad eò obtusi ingenii, ut non queant aliquorum articulo- rum sensum, etiam grossum & superficialem capere, excusabuntur à culpa ratione impotentia, si eos saltem implicite credant. Præter Symbolum debet quilibet Chri-

64.

stianus cognoscere & credere explicitè tria saltem Sacramenta, scilicet Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam, tamen in Symbolo non sint expressa, veluti quoti- dianò usu sic patet, ut de eorundem ignorantia non oporteat timere: quamvis etiam baptismus & pœnitentia spectent ad remissionem peccatorum, quæ per illa datur. Baptismus itaque cognosci debet, ut sciatur quâ viâ quisque fieri possit & debeat vel jam factus sit Christianus, & Ecclesiæ seu numero Fidelium insertus: Eucharistia verò, quia ejus usus ex divino præcepto est pro refectione animarum necessarius adultis, qui utique ad dignam perceptionem & gratiarum actionem debent posse discernere inter hunc cælestem cibum & corporalem. Pœnitentia similiter cognosci debet, veluti remedium relapsis (quales plerique sunt aut erunt) necessarium. Reliqua Sacramenta sufficit cognosci juxta communem sententiam ubi & quando quis illis utetur: quamvis Nonnulli notitiam explicitam septem Sacramentorum requirant.

His accedunt præcepta Decalogi sine quorum cognitione sive per fidem habitâ, sive saltem naturali non potest homo vitam & actiones suas dirigere prout debet, tam in ordine ad finem suum ultimum, quam juxta exigentiam Officii hominis Christiani. Idemque est de ordinariis Ecclesiæ præceptis. Quibus accedit oratio Dominica, eatenus saltè juxta omnes, quod debeant Fideles scire, Deum esse orandum, ab eoque petenda esse bona animæ & corporis; & consequenter sciendam esse Orationem Dominicam quoad substantiam, hoc est pro singulis bonis acquirendis & malis vitandis, quæ utique ibi continentur, esse Deum orandum. Quamvis juxta Plures non sit gravis obligatio sciendi illam recitare memoriter, immo juxta aliquos ne levis quidem. Hanc tamen Doctores passim concedunt, & placet Cardinali *Lugo sup. num. 133.* fundanti sese in consuetudine & Fidelium existimatione, qui consequenter in ejusmodi ignorantia turpitudinem aliquam agnoscunt. Hoc saltem observandum est periculosum Fidelibus esse illam ceteraque prædicta non posse verbo tenus recitare, ed quod huic ignorantia facile juncta sit ignorantia ipsarum rerum. Unde varia Concilia antiqua, sed particu- larità, tum Orationem Dominicam, tum Symbolum addisci volunt. Quæ tamen quantum ad hoc magis admonitionem aut pœnale præceptum quam strictum mandatum continent, quod potius ad substantiam rerum contentarum refertur.

Addunt Nonnulli obligationem sciendi formare signum crucis; idque ex usu, & sensu Fidelium in ignorantia hujus rei turpitudinem apprehendentium. Verum hæc obligatio nequit esse gravis, sed solum videtur ex qua-

*Quorum
Sacramen-
torum ne-
cessaria co-
gnitio.*

65.
*Decalogi &
quinque Ec-
clesiæ præ-
cepta scien-
da.*

66.
*Quid cen-
sendum de
signo crucis.*

ex qua-

Qu. VI. Quorum Fides Explicita sit Necessaria ex Precepto. 153

ex quadam decentia ista scientia requiri. Estque in devota hujus signi efformatione mira utilitas, & professio præcipuorum fidei Christianæ mysteriorum, ut patet inspicienti vulgaritam apud Catechistas mysteriorum illo significatorum explicationem; quam etiam habet *Marthani Tom. 2. Trib. Tr. 2. Tit. 2. q. 3. in fine.*

67. Quando incipiat obligatio præmissa discussa.

Obligatio porrò fidelium prædicta descendendi incipit cum usu rationis; & consequenter parentes, pastores & alii curam habentes tenentur sibi commissos de his instruere. Quod tamen non est intelligendum de puncto rationis metaphysico, sed moralis: prout nimirum occasio & opportunitas se offert, quæ in aliis atque aliis nunc major nunc minor est, sicut & capacitas discendi: & consequenter cum proportionem major vel minor est culpa, sive in iis qui discere, sive in aliis qui docere tenentur, si diutius, quam par est, differant. Frequenter etiam ignorantia in junioribus & rudioribus præsertim non est mortalis, sive ob levitatem materiæ ignoratæ, sive ob inadvertentiam seu defectum apprehensionis, sive ob defectum perfectæ capacitatis.

68. Qualiter debeat confessarius procedere cum ignorantibus.

Si autem quærat, quomodo se debeat habere Confessarius cum ignorante mysteria fidei, respondendum est, poenitentem esse tunc solum interrogandum, quando sufficienti fundamento præsumitur hæc ignorantia laborare. Tunc autem indaganda est ignorantia qualitas, an sit vincibilis seu culpabilis, & an graviter, spectata inadvertentiâ, qualitate negligentia, capacitatis & materiæ ignoratæ. Poenitentem porrò ignoratum nequit absolvere, nisi proponentem firmiter addiscere scitu necessaria. De quibus (si ratio temporis suadeat, & absque incommodo fieri queat) poterit confessarius poenitentem breviter instruere rudi minervâ, absque longioribus discursibus aut inculcationibus, illius hebetudinem & ignorantiam suppleendo, & explicitè articulos necessariò credendos, Trinitatem & Incarnationem potissimum (de quibus in praxi possimâ difficultas ob probabilissimam necessitatem medii, & quia ceteri ferè articuli certæ obligationis satis præsumuntur noti, uti & præcepta decalogi quoad substantiam) concernentes proponendo, atque ad singulorum propositiorem requiringdo poenitentis verè fidelis, adeoque tenentis fidem Ecclesiæ, responsum, *Credo. Hoc similive modo: Credis Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse tres personas & unum Deum? Credis Jesum Christum esse verum Filium Dei, verum Deum & hominem pro reatum, crucifixum, mortuum, sepultum, resurrexisse, ascendisse in caelum, sedere ad dexteram Patris, & Judæum venturum? Credis unam Ecclesiam sanctam & Catholicam, extra quam non est salus? Credis in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata? Credis Christum esse in Eucharistia verè &* *Herimex Sum. Theol. Pars III.*

realiter sub speciebus panis & vini &c. Estque hæc praxis aut similis ante absolutionem omnino adhibenda ignorantibus quoad absolute necessaria necessitate medii, utpote aliis non valentibus justificari. Eadem quoque arctius est præmittenda, dum ignarus est in periculosa infirmitate, longior non patiente instructionem, constitutus. His nihilominus injungatur diligentia perfectius addiscendi necessaria cum proxima opportunitate.

69. An detur interdum ignorantia invincibilis mysteriorum fidei.

Hinc nova difficultas nascitur, an dari possit invincibilis ignorantia mysteriorum fidei Christianæ? Resp. Aff. nec apparet ratio dubitandi: cum multi fuerint infideles, & adhuc esse possint, qui nil umquam de fidei Christianæ mysteriis audierunt. Inter fideles quoque reperiuntur, quibus nulla umquam incidit dubitatio de obligatione sciendi quædam specialia mysteria, de quibus etiam non sunt ab aliquo instructi. Quocasu excusantur quidem à culpa ipsi ignorantes: graviter tamen peccat, quorum officium erat illos instruere. Qui quidem defectus (pro dolor!) satis frequens in quibusdam curam animarum habentibus. Interdum etiam accedit nimia quorundam ruditas, incapacitas, ac defectus apprehensionis; prout aliquando videre est in hominibus agrestibus, qui dum vix incipiunt ratione uti, applicatur pascedis pecoribus, & raro permittuntur templum adire, ac rariüs conciones, nec domi ab heris aut parentibus de iis instruuntur, aut si quando aliquid de hisce audiunt, nil omnino capiunt, nec apprehendunt ea ut scitu necessaria.

Infideles non damnandi ob ignorantiam, sed quare.

Infideles nihilominus fidem carètes damnabuntur, partim propter peccatum originale lavacro regenerationis non deletum, partim propter addita in adulta ætate peccata actualia, in quibus fide carentes moriuntur, non autem propter peccatum ignorantia, ut rectè *Augustinus Tract. 89. in Joan. explicans illud: Si non venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent &c.*

70. Sufficiens auxiliium non facit ignorantiam fidei necessariam culpabilem.

Nec refert, quòd talibus non desit auxiliium sufficienter perveniendi ad fidem: nam istud auxiliium non est tale, ut habenti innotescat ipsum esse medium ad fidem consequendam, adeoque etsi culpabiliter homo non cooperetur, adhuc manet involuntaria ignorantia fidei, cum finis iste sit planè ignotus, & auxiliium istud non negligatur tamquam cognitum in ratione medii ad talem finem.

Non refert etiam quòd Apostolus ad *Rom. 10.* de sono prædicationis Evangelicæ dicat: *Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Et ad *Coloss. 1.* *Quod, Evangelium, prædicatum est in universa creatura, qua sub calo est, in universum orbem.* Nam constat Evangelium ad multas remotissimas & incognitas Gentes etiam multis post sæculis non pervenisse. Quare sic loquitur

quiritur Apostolus, eò quòd in plurimas quaquaverlum Nationes illo jam tempore difseminatum erat, atque ad plures etiam rumor ejus pervaserat, et si non planè ad omnes, multò autem minùs ad singulos singularum Gentium homines. Hinc defectus fidei non est per caminofus, quousque alicui in mentem veniat, saltem in consulo, ali quam cognitionem, quã caret, esse sibi necessariam ad salutem: secus est quando hoc factis occurrit, ut de fide sua rationabiliter dubitat. Cujusmodi sunt plurimi apud hæreticos educati, qui postea inter Catholicos conversantes aut eorum libros legentes, aut vitã piorum & Ecclesiæ observantiis attracti, meritò de falsitate fidei suæ dubitant; qui proinde si diligenter non inquirent, ignorantia vincibili laborare convincuntur. Secus est de illis, qui se in vera Ecclesia esse sine hæsitatione arbitrantur, de fundamentis & articulis pluribus Catholicæ Ecclesiæ nihil audiverunt, aut certè non nisi junctã reprobatione ac execratione eorum, quem quasi blasphemis & falsitate refertorum.

71. Non equalis notitia requiritur in omnibus

Præter obligationem explicitæ fidei seu notitiæ communem Christianis est in nonnullis obligatio plura & perfectius cognoscendi ratione officii sui, scilicet in Parochis, concionatoribus, Episcopis & similibus. Unde Augustinus l. de Symbolo & fide c. 1. dicit contineri in Symbolo quæ sufficienti rudibus. Et lib. contra Epistolam Fundam. c. 4. Turbam, inquit, fidelium non intelligens civitatis, sed credens simplicitas rusticissimam facit. Et Gregorius 2. Moral. cap. 18. aliàs 25. in illud Job 1. Boves arabant, & asina pascabantur, per boves intelligit prudentiores (quales esse debent ministri Ecclesiæ) per asinas verò simplices, quia prudentioribus conjuncti rursus, eorum intelligentiam pascantur. Omnis autem simplicitas sacerdotibus, qui non tenentur ad fidem magis explicitam quàm laici (præterquam quòd scire debeant, quomodo recitandum sit officium, conficiendum Sacramentum, & similia) in primis Parochi ad ampliorem scientiam sunt obligati: debent enim ea quæ ad officium hominis Christiani spectant sic callere, ut possint eadem explicare, ac difficultates communiter plebeis occurrentes elucidare, eosdemque in modo recipiendi Sacramenta, audiendi missam &c. posse instruere: scire etiam alia ad munus suum ac Sacramentorum administrationem necessaria. Idque evidenter sequitur ex vi officii. Quod proinde dimittere debet, qui scientiam necessariam sibi non procurat. Quæ etiam non sufficit, nisi subsequatur actualis ac debita plebis sibi commissæ instructio saltem in necessariis. Similiter in Doctoribus seu Magistris & prædicatoribus patet eam requiri scientiam fidei & præceptorum, quæ pro exigentiâ muneris ac debite aliorum instructionis sufficiat.

Qua scientia requiritur in Parochis, Concionatoribus &c.

Majores denique Prælati Ecclesiæ, scilicet Episcopi, veluti Pastores Pastorum, judices controversiarum, custodes sacri depositi Evangelicæ doctrinæ, quorum præcipuum munus est Evangelium Jesu Christi prædicare juxta Tridentinum sess. 5. c. 2. de Reform. sess. 24. c. 4. de Reform. Qui ex officio succedunt Apostolis & regunt Ecclesiam Dei, ad quos denique Pastores inferiores in suis difficultatibus possunt & debent recurrere, debent consequenter adhuc majorem cognitionem rerum fidei & morum habere, ita ut per se possint articulos fidei confirmare, & contra oppugnantes defendere. Est communis Doctorum. Non quòd tanta notitia ipsis in promptu esse debeat, sed quòd debeant esse apti, ut oblati occasione debitum sui muneris exequi valeant: quòd fit, si noverint ea, quæ communiter sunt nota, occurrere, cetera verò studio & aliorum consilio ac auxilio possint. Patet non solum ex jam dictis, sed etiam ex 1. ad Timoth. 3. ubi dicitur: Oportet Episcopum esse Doctorem. Et 1. ad Titum 1. requiritur, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Idem exaggeratur in variis Canonibus apud Gratianum, ut C. Qui Episcopus, dist. 23. C. Omnes psallentes, dist. 38. In Synodo VII. can. 2. Cap. Cum in cunctis de Elect. Quod innovat Tridentinum sess. 7. c. 1. de Reform. Hinc Episcopi solent interrogari an sciant utrumque fundamentum, scilicet explicare, adhibito saltem studio, & in difficilioribus requisito Doctorum consilio. Nec sufficit, quòd Episcopi hæc præstent per alios: cum enim sint lux mundi, absurdum est, quòd ex se non luceant. Unde Tridentinum sess. 5. c. 2. de Reform. docet, omnes Episcopos teneri per se ipsos, si legitime impeditis non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Meritoque dicitur esse intolerabile in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. C. 10. si ob defectum scientiæ fiat, quòd non per se alios doceant.

82. Quanta debeat esse scientia in Episcopis.

Fatendum nihilominus, necessitatem doctrinæ ad munus Episcopis præstandum non esse semper & ubique æqualem, sed pro diversitate locorum, temporum & circumstantiarum posse esse inæqualem. Fatendum similiter, aliquem doctrinæ defectum posse compensari aliis dotibus, puta prudentiâ, experienciâ, puritatis vitæ, auctoritatis & dexteritatis ad gubernandum, interdum etiam potentia temporalis ad resistendum hostibus Ecclesiæ, quando nimium omnibus penalatis Episcopus minus doctus judicatur Ecclesiæ utilis: cum Ecclesiæ utilitas sit finis præcipuus, ad quem Episcopi dignitas mensuranda & ordinanda est. Quando nihilominus doctrina ceteris qualitatibus juncta in aliquo reperitur, indubiè is præferendus est. Oppositumque ad exterminandos abusus merito est referendum. Petes, quale sit præceptum credendi explicitè

73. Necessitas doctrinam ubique aut semper equalis. Qui suppleri aut compensari possit.

74. Præceptum

fidei explicita non est Ecclesiastica, sed divina.

PLICITÆ ea, quæ sunt de necessitate credenda? Resp. esse divinum non solum quoad necessaria necessitate mediæ (quæ utique sunt præcepta à Deo hoc ipso, quo præceptus est ab eo finis) sed etiam quoad reliqua ex præcepto explicitè credenda; ut contra Suarez d. 13. sect. 4. n. 13. & 14. docet Sanchez, Azorius, Lugo & alii passim. Nam obligatio assensus fidei explicitæ non potest provenire ex præcepto Ecclesiastico, cujus materia nequit esse per se actus merè internus; quamvis obligatio discendi seu comparandi notitiam (quæ per actus externos comparatur) possit etiam provenire ex præcepto Ecclesiastico. Itaque Ecclesiæ solum proponit & declarat credenda ex præcepto Christi. Quod quidem præceptum sequitur ex mandato Christi dato Martini ult. prædicatoribus fidei, de annuntians omnibus Evangelium, utique quoad substantiam & præcipua capita (quæ idcirco Apostolo instinctu divino brevi Symbolo complexi sunt) & consequenter aliis de audiendo & credendo; prout etiam significat, quod ibidem subditur: *Qui crederit, & baptizatus erit, salvus erit, qui vero non crederit condemnabitur.*

75. An præceptum fidei sit naturale.

An autem præceptum fidei sit naturale, ulterius indagari potest. Et quidem si de præcepto negativo sit sermo, indubiè ipsum est naturale, quo prohibemur discredere revelatis à Deo, sive quæ tamquam talia ita credibiliter proponuntur, ut non subfiteratio prudenter dubitandi. Præceptum autem positivè credendi, si non sit propriè naturale, saltem est valdè connaturale, loquendo de assensu fidei ut sic, & abstrahendo à supernaturalitate. Quamvis etiam supposita elevatione ad statum supernaturalem, connaturalis eidem statui sit tendentia ad finem per assensum supernaturalem: immo supposita obligatione poenitentiae aut dilectionis supernaturalis pro isto statui, & supposito quòd hæc, sive ex natura rei, sive ex ordinatione Dei, elici nequeat sine directione fidei supernaturalis, ex natura rei consequens est hæc quoque cadere indirectè sub eadem obligationem. Est præterea præceptum directum eliciendi assensum fidei circa determinata mysteria; quod tamen eatenus præcisè videtur positivum, pendens à voluntate Dei, rationabiliter hæc potius quam illa mysteria determinantur.

76. Quo tempore per se obliget præceptum credendi.

Petes II. Quo tempore sit eliciendus vi præcepti assensus fidei? Resp. communiter assignari pro infidelibus tempus, quo illis fides est sufficienter proposita; id est, cum evidentia credibilitatis juxta capacitatem personæ. Quæ tamen obligatio juxta Sanchez l. 2. c. 1. n. 3. non est accipienda pro metaphysico instanti, sed morali, sic ut in retanti momenti non nimium arbitrio prudentis tardetur; exemplo obligationis suscipiendi baptismum mox moraliter loquen-

do post sufficientem instructionem. Ratio est: quia non potest rectius tempus obligationis hujus determinari. Nihilominus Comenius disp. 14. dub. 10. n. 205. & seqq. & alii putant hanc obligationem esse pro instanti metaphysico sufficientis propositionis: eò quòd tunc fidem respicere aut de ea dubitare nequeat sine peccato infidelitatis, ut patet: assensum autem suspendere, negativè se habendo, videatur moraliter loquendo vix fieri posse; cum non sit ratio amplius suspendendi assensum, ut supponitur, utpote non existente ratione dubitationis de veritate credibilem, Deoque parato concurrere ad assensum. Dilationi autem aliqui baptismi jam efficaciter intenti potest ratione molestiæ aut aliis de causis facilè subesse ratio. Posito tamen speculativè casu, quòd citra dubitandi aut discredendi periculum, quis aliquantulum differret actum interiorum fidei, prapendens id esse parvæ considerationis, præsertim si de facto firmum de amplectenda mox fide propositum eliceret, difficulter mora tantilla posset argui peccati, saltem gravis. Quòd enim hætenus fuerit sectator oppositæ Religionis, & fautor hostium vivæ fidei, non urget obligationem istam pro instanti metaphysico uti nec cultus Deo seu Primæ veritati per obsequium fidei exhibendus, aut aliquid aliud solitum allegari.

Præterea Fideles baptizati, dum satis perfectè attingunt usum rationis, & credibilia eis sufficienter proposita sunt, tenentur juxta Doctores (nisi per accidens excuset inadvertentia obligationis) elicere actum fidei, sic ut saltem non multum differant. Congruentius enim tempus determinari non potest.

De cetero obligationi directum exercendi actum fidei aliis temporibus practicè loquendo satisfit per actus fidei, qui concurrunt in exercitio actuum spei, poenitentiae, dilectionis, orationis & similibus. Immo vix dies transit, quin occasio eliciendi actus fidei in recitatione Symboli, formatione signi crucis, auditione missæ &c. occurrat.

Per accidens & indirectè obligatur quis ad actum fidei eliciendum, dum instat præceptum, quod sine fide impleri non potest. Puta dilectionis, contritionis vel attritionis: qui actus sine directione actuali fidei elici non possunt. Idem est, cum quis tenetur suscipere Sacramentum, præsertim Eucharistiæ. Item cum instat præceptum exterius confitendi fidem, quam debite & veraciter confiteri non possumus, nisi interior fidei assensus correspondeat. Item cum ob minas & tormenta est periculum abnegandi fidem, nisi scuto interioris fidei quis se muniat. Idem posset esse, cum ingravescunt in mente tentationes diabolicæ contra fidem. Hic tamen resistendi modus non est plerumque necessarius: cum cogitationes aliò

77. Quando obliget per accidens.

aliò divertendo sæpe possint tentationes depelli, & fortè faciliùs. Immo ut tentationes scrupulorum (quæ utique sunt firmi in fide, & apprehensiones seu incidentias timent esse dubitationes voluntarias) mitigentur, & imaginatio turbata quiescat, convenit actum positivum fidei ab iis non elici, sed potius imaginationes veluti fallas & somnia confectum; cum aliàs magis videri fiat imaginatio & major vexa.

Denique non est credibile, neque communiter apprehenditur esse obligationem positivè elicendi actum fidei, quotiescumque res aliqua fidei sufficienter proponitur. Aliàs sanè jugiter elicendi essent actus fidei ad singulas propositiones sacri textus, Canonum Conciliorum &c. dum quis in Scripturæ aut Conciliorum lectione se exercet. Essetque præceptum istud difficillimum. Neque ex ullo capite sufficienter probatur.

78. Qui differant credere Deo, credere Deum & credere in Deum.

Pro fine hujus Disputationis quaeritur, an & quomodo actus fidei distinguantur per hoc, quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum? Resp. passim ex D. Thoma q. 2. art. 2. nos credere Deum tamquam objectum materiale, quatenus credimus ipsum esse: credere Deo tamquam motivo, quatenus credimus aliquid propter ejus auctoritatem: credere

verò in Deum tamquam finem fidei; quatenus voluntas actum credendi refert in Deum tamquam finem. Quod posterius membrum conforme est Augustino Tract. 29. in Joandicenti: *Quid est credere in Deum? Credendo amare, credendo in eum cre. & ejus membris incorporari.* Juxta quod peccatores crederent Deum & Deo, non tamen in Deum. Sed quamvis hæc conformia appareant proprietati verborum, non tamen ita phrasi Scripturæ, quæ solet duo posteriora membra confundere: nam Joan. 12. dicitur: *Ex principibus multi crediderunt in eum; qui tamen justii non erant: utpote qui propter Pharizæos non confitebantur Christum (ut ibidem additur) adeoque amando non tendebant in ipsum.* Deinde ad Rom. 4. dicitur: *Credidit Abraham Deo: & tamen paulo post subditur: Credenti in eum, qui justificat impium, ubi videtur ista sumi pro synonymis.* Quod etiam fit 1. Joan. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: qui non credit Filio, mendacem facit eum &c.* Et Exod. 14. ubi Latina habent: *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus, in Hebræo est: In Deum & in Moysen.* Ex quibus apparet credere Deo, & in Deum ordinariè confundi: prout etiam credere Deum & in Deum sæpe confunduntur.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Externo Actu seu Confessione Fidei.

QUESTIO I.

An Confessio Externa sit Actus Fidei, & Quando Obliget?

I. Externa confessio est actus fidei.



EXTERNA fidei confessio juxta omnes Theologos est actus fidei. Sicut è contrariè externa fidei negatio contrariatur fidei, & est actus externus infidelitatis, externæ quæ falsæ fidei professio est externa hæresis, fidei opposita, & tamquam talis ab Ecclesia punitur. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi ipsa eliciatur ab habitu fidei, vel imperetur ab interiori assensu fidei. Nam externa confessio consistit in actione aliqua quoad substantiam naturalem potentie locomotivæ, à qua elicitur sive producitur locutio, scriptio, nutus aut aliud opus protestativum fidei internæ; adeoque non elicitur ab habitu interno intellectu, quia ipse est fides. Assensus quoque fidei, veluti actus intellectus, non habet imperare actibus externis; sed hoc est officium voluntatis per volitionem imperantis aliis potentiis.

Non est proprius actus ejus elicivus aut imperativus.

Itaque est actus fidei, neque propriè elicitus, neque propriè imperatus, sed est actus imperatus per volitionem confitendi exterius, quæ quidem volitio habet specialem honestatem (quam vis alioquin ex motivo diversarum aliarum virtutum v. g. charitatis, veracitatis, fortitudinis &c. possit elici, & consequenter externa confessio ex motivo earumdem imperari) eam nimirum, quam habet volitio credendi sicut enim honestum est velle credere, sic & velle confiteri; & consequenter ipso credere & confiteri est similis honestas objectiva, fundata in excellentia divina Veritatis, cui loquenti sicut honestum est interiùs assentiri, sic & exterius in loquela aliisque signis, juxta illud Apostoli 2. Cor. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur.*

Unde confessio dici potest actus fidei, primò ratione similis honestatis. Secundò, quia spectat cum fide ad eandem virtutem voluntatis, ex qua voluntas imperat, tum credere, tum confiteri. Tertio, quia confessio externa est signum fidei internæ, & cum ea quid unum, sicut locutio seu propositio vocalis cum interna seu mentali.

Quarto,